Stanislai Okſzyc

ORZECHOWSKI

Roxolani

FIDELIS SUBDITUS

Sive

De Inſtitutione ad SIGISMUNDUM AUGUSTUM

LIBRI II.

Tum

JDEA APOCALIPTICA

Ejuſdem ORICHOVII.

VARSAVIÆ
Typis S. R. M & Reipublicæ in Collegio
Scholarum Piarum.
ANNO MDCCLXIII.

AD JLLUSTRISSIMUM ET REVERENDISSIMUM DOMINUM

JOSEPHUM ANDREAM

COMITEM IN ZAŁUSKIE JUNOSZA

ZAŁUSKI.

Episcopum Kioviensem & Czerniechoviensem,

Solii Pontificii Assistentem, Abbatem Vąchocensem in Polonia, Fontanensem in Burgundia, Villariensem in Lotharingia. Ecclesiae Cathedralis Cracoviensis Canonicum. Præpositum insignis Collegiatae Varsaviensis, Academiarum Florentinae, Bononiensis, Berolinensis, Petropolitanae Socium.

Duo sunt communiter, quae unumquemque ad probandum legendumve librum, qui primum in lucem prodit

publicam, impellere videntur; alterum ſcilicet Authoris, qui editur, praeſtantia, alterum verò nominis, cui inſcribitur, excellentia. Ad declarandam Authoris praeſtantiam, non multum allaborandum eſt, ſatis enim nomen ipſum Orichovii per ſe loquitur, qui non à noſtratibus duntaxat, verùm ab exteris etiam Demoſthenes Roxolanus, meritò optimoque jure, appellari meruit. Quid ergo reliquum eſt? de Tuane ſingulari Nominis excellentia dubitandum erit? at haec per univerſam, qua longè latèque patet, Europam

ita

ita percrebuit, ut ſi quis ANDREAM ZAŁUSKI Kiovienſem Antiſtitem *laudare voluerit, verendum illi ſit maximopere, ne plus de magnitudine laudum Suarum detrahat, quàm quidpiam eisdem addat amplitudinis. Conſultiùs ergo agere mihi videor, ſi has plane reticens, aliis poſteritati praedicandas relinquam; unum tamen praeterire non poſſum, quod ad rem meam ſervit appoſitè;* TU JLLUSTRISSIME ET REVERENDISSIME PRÆSUL, *uſibus publicis* TE Tua*que dicas omnia, ac quaſi non contentus praeſentiſſimo illo* TUO

opere

opere (*Bibliothecam* TUAM *intelligo*) *quod omnis posteritas Nomini* TUO *gratissima admirabitur*, Collegij *etiam* Nostri *Bibliothecam non copiosis modo libris, quod satis per se nobilissimum optimae* TUAE *in nos voluntatis esset documentum, verùm etiam sumptibus liberalibus, sponte* TUA *augere, absolvere, ac ornare decreveris. Si haec* TU *facis? cur nos etiam usibus publicis inserviendo*, TUO, *quoquo modo, gratificari Nomini non studeamus? Accipe igitur, ea quâ soles benevolentia exiguum hoc quidem, at* TIBI *maximè debitum*

studi-

ſtudioſiſſimorum TUI *animorum no-ſtrorum monumentum, quod cum gratum* TIBI *fore intellexerimus, ad majora ſemper, magis magisque incitabimur.*

Dabam Varſaviae pridie Kal: Decembr

Nicolaus Franciſcus Stadnicki

S. P. Coll: Regij Varſavienſis

Rector.

JN FIDELEM SUBDITUM STANISLAI OKSZYC ORZECHOWSKI ROXOLANI AD SIGISMUNDUM AUGUSTUM POLONIÆ REGEM

Præfatio.

Cum in Russiam cuncta modò influeret Scythia, (*a*) metuque hostili convellerentur hîc apud nos omnia; re ipsa coactus, ad te misi ea nominatim, quæ compresso nomine dudum edideram. Cùm enim propositi anniversario hosti in Russia essemus, adductus sum aliquot abhinc annis, partim fide erga te mea, (*b*) partim verò charitate Patriæ, ut tibi designato tùm primùm Regi ea

(*a*) Tartari, anniversaria calamitas Russiæ.
(*b*) Causa scribendi fidelis subditi.

proponerem, quibus tu patri succedens, uti posses pro salute nostra. Neque verò à me id arroganter factum existimari debet, arrogantiæ enim ibi locus non est, ubi ipsius authoris ratio nulla est; sed cùm in metu servitutis & nos assiduè versaremur, & tu propugnator Sarmatiæ designatus nobis esses, de summorum philosophorum sententia ostenderam tibi, communi fidelis subditi nomine, qualem te Regem esse à pueritia conveniret; si & Russiam servitute liberare, & communem regni tui libertatem præstare velles, ut hoc nomine nullam aliam gratiam abs te inirem, præter eam, quæ à bono Rege, subdito debetur fideli. Verùm enimverò metus præsentis mali coëgit me, ut eadem mitterem ad te denuò, non jam communi, sed proprio meo nomine, ut nomen ipsum admoneret te, quo loco, quantoque nunc simus in periculo. Es tu quidem ab avis, ac proavis Sarmatiæ Rex; sed tamen pro generis ac nominis tui amplitudine, nullum aliud munus, neque te Rege digniùs à tuis expectabis, quàm ut ab ijs certior fias, cujusmodi te Regem sibi velint esse: quid desiderent

in te? quid requirant à te? qvove totum velint propendere te. Neque enim in eo posita sunt tibi omnia, quod Rex à Polonis appellatus es, sed, quòd secundum hoc nomen regnas, in eo summa est tibi rei: (*c*) alterum enim horum benevolentiæ est subditorum, alterum verò virtutis atque præstantiæ Regiæ; quæ, quantò præ cæteris rebus omnibus excellentior est, tantò ad eam aditus expeditior est ijs, qui animo sunt excelso, ac vitijs libero. Quomodo enim quæso is, in quem tanquam in imam voraginem cœtus vitiorum omnium concessit, Regium tuebitur nomen? cùm in res plenas perturbationum atque metus inciderit; (*d*) aut quomodo rebus dubijs consilio, desperatis verò præsenti animò, adesse poterit helluo ac lurco? prius peste atque vastitate cuncta interibunt; quàm is opem tulerit Rex, diademate nomen Regium metiens, non virtute. Quòd si exemplis hoc, quàm sit verum, perspici debet; præsens calamitas nostra exempli satis est ad omnes tales casus. Afflicti sumus, ferro, atque igni penè deleti. Oramus

(*c*) Regnare benè Regis proprium.
(*d*) Rex vitijs deditus officio suo uti nequit.

mus te cuncti, ut nobis adiis, nostram calamitatem pro materia tibi oblatam putes esse; (e) in qua non tam nomen tuum, quàm virtutem tuam Regiam sentiamus. Est in te summa præstantissimaque dignitas, est genus Iagiellonum invictum ac victoriosum, sunt exempla patris viva atque recentia: fac quæso, animus quoque in te appareat, & patre, & genere, & isto loco dignus. Quod si qua in re ab his discrepaveris, parumne documento nobis erit, pessimè cum ijs agi, quibus fato Reges nascuntur, atque casu fiunt? At qui nos hæc tam enixè ideò ad te scribimus, quòd metuimus, (f) ne captivi hinc in Scythiam abducamur postridiè. Quod si acciderit, satisne nobis erit ad consolandam servitutem quòd tu Regis filius, atque ipse Rex nos amiseris? Equidem non arbitror: virum libertas nostra requirit, ut sit salva, non titulum Regis. Quære nunc ab ijs, qui ex Russia captivi in Scythiam modò sunt ducti, quem accusent? (g) cujus fidem implorent? de quo

(e) Pericula Regni, materia sunt regiæ virtutis illustrandæ. (f) Quid metuat scriptor.
(g) Querela captivorum.

quo sublatis in cœlum manibus, ejulatu diuturno atque nocturno querantur? De te utique ò Rex! quòd te videlicet vivente Cracoviæ, illi miserè perierint in Russia. At quomodò perierint; sine lachrymis hoc dici non potest. Defendente nemine, propugnante nemine, incensa sunt oppida, expugnatæ munitiones, capti, ac cæsi multi Illustres viri, infantes iugulati, cæsæ anus, ante ora patrum violatæ puellæ: constupratæ ante virorum conspectum matronæ, abducta juventus, cum qua instrumentum, pecus atque labor omnis interijt rusticus, solus in agris atque colonijs nostris multus habitat nunc horror atque mœror. Et nisi Joannis Tharnovii imperatoris divina atque incredibilis virtus obstitisset, Scythiamque ferro atque igni grassantem repressisset, amplissimam illam opulentissimamque Russiam videres nunc totam in favilla ac cinere. Verùm cùm Joannes Tharnovius natus huic regno conservando imperator, nihil ad celeritatem sibi reliqui fecisset; quantumque ex fuga potuit, militem collegisset, desperatis jam rebus nostris in-

credibili celeritate ſalutem attulit, Ruſſiamque ex faucibus lethi ereptam, afflictam licet, tibi conſervavit, ut haberes quod curares, quodvè reſtitueres. Quibus malis atque incommodis, ut quamprimùm occurras, nonne memor paternæ atque avitæ virtutis, Cracoviam illecebram adoleſcentiæ tuæ, quàmprimùm relinques? (*h*) & te in Ruſſiam conferes? ut eam reſtituas, ejuſque reliquias conſerves, quas tibi fecit reliquas hoſtile ferrum, quod neſcio, an tibi facilè factu fuerit, niſi talibus præceptis atque inſtitutis Philoſophiæ abundaveris, (*i*) quæ complent ac perficiunt magni regis mentem. Niſi enim ex huiuſmodi præceptis conceperis robur animo, & niſi te Regem eſſe, quaſi Philoſophum quendam, non ſub tecto ſed ſub dio habitantem, cum animo tuo ſtatueris, fletum hunc præſentem ab oculis noſtris nunquam abſterges. Et quoniam tibi ſummis rebus occupato, ad ea inveſtiganda tempus deeſt, quæ in ipſius Philoſophiæ receſſu poſita ad benè gubernandam

Rem-

(*h*) Quibus malis atque incommodis quamprimùm occurrendum. (*i*) Philoſophiæ præcepta Regi neceſſaria.

Rempub. valent plurimum; dedimus operam, ut ea deprompta ad te in præceptis monitisque mitteremus: si non omnia, at præcipua certè quidem. Itaque Fidelem Subditum, natum domi nostræ annis abhinc sex, copiosiorem aliquantò, quam dudum, ad Te cum talibus præceptis publicè mittimus: quem ut studiosè cumulatum reddam; addidi & alterum quasi prioris comitem, ac penè germanum, quem defuncto jam Patre Tuo nuper confeci tibi; (*k*) quibus utrisque Philosophiæ ipsius præscripto, quasi circinò quodam circumscripta est Tua omnis regia vita, rebus utique & exemplis ad nostram consuetudinem aptis. Nec verò sum nescius, non defuturos Gnatones aulicos, qui aucupum similes, voce adsimulata, vos Reges captant, ac ita dicunt: Quid hic sibi vult monitor odiosus Regum? (*l*) qui is? aut unde? Quibus ego respondeo: Principiò, ut interea medijs in delicijs quiescant, ac ventri & petulantiæ suæ apud vos Reges studeant, nobis verò molesti non sint; dum nos te Regem nostrum veris ac fidelibus monitis ad salutem commu-

nem-

(*k*) Libri duo fidelis subditi. (*l*) Voces aulicæ

nem tutandam exhortamur: Deinde, isti discant aliquando eam rationem Regum esse; ut nemo illorum rectè possit imperare alijs, nisi ipse prius parere rectè monentibus didicerit: Postremò, tu nvitis hisce aulicis ita statues, Reges non debere esse apum similes, quæ curatores suos pungunt, eo præsertim tempore, quo, cum Regno ipsæ pereunt. Proinde avertes te quidem à nomine nostro: quis est enim filius Orzechovij? ut fiat monitor Regis; sed ea tamẽ, quæ d:prompta tibi mittuntur ex ipsius Philosophiæ vestræ Regiæ penetralibus, sine qua vir bonus, ac sapiens Rex nemo potest esse, grato ac jucundo animo, à me fideli Tuo subdito excipies; non quia à me missa sunt, sed quia præclara ac verè Regia videntur esse, suntque cognitione tua dignissima: eaque sic leges, ac ad salutem nostrã accommodabis, ut te aureum matris tuæ partum dicamus, nostræque Patriæ divino munere tam necessario tempore natum judicemus. Quorum alterum pertinet ad nominis tui gloriam sempiternam; alterum verò ad leniendum mœrorem ac luctum nostrum præsentem. Benè & feliciter valeat Ma-

jeſtas tua. Datum ex Zurovice Paterno rure, die Divo Michàélis ſacro. Anno Chriſti Dei noſtri 1549.

FIDELIS SVBDITI DE INSTITUTIONE REGIA.

LIBER PRIMUS.

QVi Principes monent ô Rex, duas res adverſas timent; odium, & contemptum. Nam neque monitorem fert fortuna, neque rationem Rex. Hoc ego metuens omiſi nomen, ne & odio alicujus monſtraret iter, & ob hoc in ſcripto authoritas eſſet minor. Subditum me tuum profiteor: quo, teſtor Deum, non eſt fidelior alter. Habes cauſam prætermiſſi nominis. Nunc quid, &

cur ad te scribam, accipe. Scisne tu, quis es tu Rex? Regis igitur tu, regor ego: sapientior ergo tu, quàm ego. Quòd si tu sapiens; liber, dives, felix ego: quòd si tu desipias; servus, vagus; exul ego. Nemo igitur delicto tuo miser, nisi ego. Ergo jam vides licere mihi, dum adhuc integer sum, tuam implorare fidem; ut dum licet, discas, quo pacto mihi periculoso hoc tempore, patriam, leges, libertatemque conserves. Et quoniam ad multa tibi obstat ætas, adducor fide, ut ea quæ noceant, admoneam pura & fideli oratione: neque enim aliam novi (quam, cave contemnas) quòd omnis monitor, interpres Dei est, ut ejus lege vivas: (m) quòd si hunc contemnis; cave, ne tibi Deus pro monitore parasitum mittat, cum mendaci spiritu, qui te decipiat. Quamobrem: quò majoris Imperij Rex es, eò curare te impensiùs æquum est, ut consilia recta jam nunc injuncta habeas, quibus tot populos conserves. In quo te juvare possunt hi, qui te amant, & tua salute suam contineri putant, è quorum numero ego unus sum, ut mox hoc indica-

(m) Veros monitores non ferentibus, parasiti dantur.

dicabit ſcriptum, quod jam tibi hiſce libris proponam. Quorum primus ineuntem Regiam tuam ætatem, (*n*) alter verò regnantem te totum complectitur. Et quoniam omnis adminiſtratio Reipub: dividitur in Regem, & Senatum: hiſque duobus mandatur cuſtodibus: de utroque dicam: ita tamen, ut prius te tanquam caput inſpiciamus, deinde Senatum. Hoc igitur ante omnia ſcito, non quemvis imperio eſſe aptum, ſed tantum hominem veri atque juſti naturâ cupidū. Sed hoc non ſatis eſt, niſi etiam accedat doctrina, (*o*) quæ hunc ipſum hominem quid verum, quid juſtum ſit, erudiat. Vt enim ager, etiamſi naturâ fertilis ſit, ſine cultura tamen ſterilis erit; ſic hominum natura, quantumvis excellat, niſi accedat doctrina, nihil edit laude dignum. Quare non ſunt tibi audiendi ij, qui te à ſtudio earum artium abducunt, ſine quibus omnis vita barbara eſt, & inutilis, cùm omni procuratione, tùm verò vel maximè in adminiſtratione civili. Cùm enim in minimis artibus nemo opus facit, niſi is,

qui

(*n*) Summa librorum. (*o*) Qui Imperio apti.

qui didicerit; (*p*) dic quæso, cùm omnium difficillimū sit gubernare regnum, quod opus in eo tu facies Rege dignum, nisi didiceris? quomodo justos, honestos ac convenientes efficies cives tuos; si neque justi, neque honesti, neque pacis rationes unquam cognoveris? non traduntur hæc, mihi crede, risu & cachinno aulico: sed inde petuntur, unde olim Sanctissimus Pater petebat Tuus, (*q*) qui viro docto, ac Sancto Dlugosio traditus puer, non prius discebat, quo freno coërceretur equus; quàm, quo ipse cupiditates refrænaret suas: ab hoc ille didicit timere Deum, amare suos, Rempub: regere, unire cives, tueri fines, belli & pacis tempus nosse. Quibus cognitis, labore deinde & metu excitata virtus summi illius viri, in solio paterno atque avito consedit. Habes exemplum domesticum, à quo tibi discedere turpissimum fuerit. Accipe nunc externum, non minus ætati, quàm dignitati Tuæ aptum. Alexander Magnus, cùm id ætatis esset, jam Thebas everterat, (*r*) ex ludo

(*p*) Rex regnandi peritus esse debet. (*q*) Præceptor Sigismundi Patris. (*r*) Alexandri Magni adolescentia.

ludo atque disciplina Aristotelis progressus: & ut multa in pauca conferam, una erat vivendi norma proposita his omnibus, quorum est eritque semper æterna memoria, quam Phœnix ille Homericus proponit Achilli, (*s*) qui se dicit ideò missum esse à Pelœo patre, ut illum sapere priùs, deinde facere doceat: ab hac norma qui discesserunt, perniciosi suis Reges fuerunt. Quæ enim alia vis Dionysium Tyrannum in Sicilia, quæ Boleslaum in Polonia, (*t*) quæ Claudium Romæ, quæ Neronem, & breviter, omnes tam Græcos, quàm Latinos, atque Barbaros Tyrannos effecit? nisi mens bonis præceptis vacua. Iam verò, quibus voluptas pro crudelitate placuit, ut Sardanapalus ille Assyrius, Heliogabalus Romanus, Alcibiades Græcus, (*u*) spretis literis & earum doctoribus, vixerunt cum impuris parasytorum & sycophantarum gregibus, cum ijs, qui convivium de die apparare, scortum cum fide adducere, canere, psallere, risus tempestivos movere, nugari, blandiri, mentiri, laudare malos reprehendere bonos, norânt:

(*s*) Phœnix Homericus. (*t*) Exempla Tyrannorum. (*u*) Molles Reges inepti regendo.

rânt: (x) apud quos erat virtus vitium: pudor pro ſtupore: continentia pro ſtultitia: frugalitas habebatur pro avaritia. Sic omni choro virtutum ex animis horum quos commemoravi exploſo, ſemotis etiam fidelibus mentium noſtrarum cuſtodibus, ratione, & doctrina; amor, luxus, deſidia, atqué inertia, in locum virtutum ingreſſa, eò amentiæ iſtos perduxerat, ut Sardanapalus inter ancillas neret: Heliogabalus ex ſcortis exercitium influeret: Alcibiades verò pudicitiam ultro proſtitueret. Et tamen cùm ita viverent, mirè placebant paraſitis: qui maximo cum applauſu, illorum inſolentiam vocabant diſciplinam: licentiam verò libertatem: intemperantiam honeſtatem: audaciam poſtremò ipſam fortitudinem. Vides jam optimè Rex, ut aliquando ad Te redeam, & illos crudeles, & iſtos voluptarios principes tales in imperio fuiſſe, qualis illorum educatio præceſſerat. Simul & illud jam tibi notum eſt, id quòd memoriâ tenere debes, ſine bonis præceptis, & honeſtis inſtitutis, virum bonum eſſe

(x) Depravatorum Regum ſtudium.

esse non posse; (*y*) multò minus Regem: & tamen adhuc dici audio, idque à tuis Regem te esse debere, non monachum; & ideò minimè tibi opus esse literis. Proh Sancte Iupiter! (*z*) Monachum sapientiorem esse debere, quàm Regem, An in Regno tuo sapientior erit is, qui in angulo cum uno atque altero monacho finget otiosos syllogismos, quàm tu, cui tot ac tantæ res curæ sunt? Senatum inquiunt prudentem esse sufficit, (*a*) sufficit: hoc idem est, ac si quis dicat: Nauclerus sanè insaniat, modò vector sapiat, sed non est ita, non est, ò Rex, occlude aures: cave credas: Syrenum hic cantus est: necesse enim est ibi langvere opus, ubi imprudens est princeps operis. Eryngium herbam esse ferunt, quam cum è caprarum grege una in os acceperit, ipsa primùm sola, quæ accepit sistitur, deinde reliqvus caprarum grex fit immobilis: nec prius movetur, quàm caprarius ore capræ herbam exemerit. Ad eum modum necesse est omnem industriam atque impetum recti consilij remorari Principis inscitiâ. Sed

 dices:

(*y*) Regis educatio quid afferat. (*z*) Corrupta voces. (*a*) Sapienti Senatu sapientior sit Rex.

dices: ſatis jam admonitionis, jam Doctores profer. Et ſi tibi, Regi præſertim, facilis ſit hæc inquiſitio, quòd omnes bonos noſſe deberes; tamen quoniam cœpi, ne hæc quidem prætermittam. Habes tu in tuo Regno, ſi quiſpiam alter, ad omne Reipub. munus viros idoneos; ſed neſcio quomodo otium malunt quàm negotium, ego autem ex omnibus producam duos, induſtriâ, doctrinâ in tuo regno minimè ſecundos, Staniſlaum Hoſium, (*b*) & Martinum Cromerum, quorum operâ hoc es aſſecutus, ut exteris nationibus literas jam noſſe videamur: quos, ſi tibi adhibueris comites, & ſi cum his frequens fueris, non erit cur aut Alexandro Ariſtotelem præceptorem, aut Dioni Platonem invideas: ijſdem tu præceptis, quibus olim illi, iſtorum operâ facilè & citò excelles. Sed de inſtitutione ſatis, & ultra modum etiam; verùm fides & amor ſolent carere modo; proinde ignoſces, & nunc cætera benignè & attentè audias. Proximùm eſt videre, cum quibus vivas ſed ſcrupuloſus hic & anguſtus locus

eſt

(*b*) In Polonia eſſe viros prudentes, qui Regi à conſiliis ſint.

eſt. (c) Nam ſi quis à me quærat unus è multis, quid mihi videatur familia tua? reſpondebo, honeſtiſſimam, & planè regiam mihi videri. At ſi quis moroſus Theologus, ut Clepars, quærat: Heus tu, noſti convictores Regios? novi, quid, omnes iſti ſunt Regis convictu digni? Hærebo: & ſi urgebit, reſpondebo; non omnes. Qui igitur ibi indigni Rege? dicam, qui ſemper laudant Regem. Qui illo digni? qui aliquando reprehendunt Regem. Cur? quia Rex juvenis; errare, falli, decipi poteſt. Cum his ergo vivendum Regi, qui reprehenſione corrigunt Regem, (d) non qui laude errantem Regem confirmant. Sic ego Theologo iſti, ejus ſupercilium intuens, reſponderem; multorum Regum admonitus exemplis, qui blandis hominibus, verſutis & callidis, cùm conniverent, turpiſſimi fuerunt. Quid enim Ptolomæum Regem aliud in ſcena tibia canere coëgit? Quid Neronem orbis terræ principem ſcenico apparatu larvâ & cothurnô induit? niſi adulatorum laus: cùm cantus illorum

(c) Familiares Regij quales eſſe debeant.
(d) Familiares depravati corrumpunt Reges.

Appolline digni, convivia Baccho, palæstra Hercule, ab adulatoribus digna vocaretur. Quare non est, quod in omni vita aliud magis fugias, quàm adulatorem: hic enim solus dementat Reges, & quasi Circæo poculo, in quas vult, illos mutat formas. Hocque ille imprimis assequitur, reprehendendis studijs virtutum, ut si verbi gratiâ, temperantem te videat, protinus clamat rusticam hanc esse vitam convivió est opus: sine puellis, & choro, & symphonia ignobilem esse Regem. Allegabit etiam exempla, se vidisse, hunc & illum Regem, sine cantore & choro nunquam cœnasse: is idem excogitabit tibi vestes, inveniet vngventa, instruet balnea: apud hunc & illum senatorem quæret tibi convivia, laudabit saltus, incessus, equos tuos jurabit ne in stabulo quidem Turcico meliores. At si quis nuntiet fines vastatos; extenuabit mox acceptam cladem: tibi, inquiet adhuc satis regni est: deinde, si ipse omnia cures, non Rex eris, sed subdito miserior. Ad eundem modum, si quis vir bonus & amans patriæ, aliquid commissum contra jus; aut non legitimè abs te factum admoneat;

neat; non fert libertatem hanc adulator; (e) sed extemplò contra monitorem profert illum Tyrannorum laqueum, crimen Majestatis læsæ: in pectore Regis dicet, conditum esse jus; Regem nullo jurejurando teneri: & ab hoc qui dissentiat, Majestatis esse reum. His atque talibus artibus ille omnes tibi honesti excutiet rationes, & te falsis laudibus, tanquam quibusdam clavis, partim ad inanissimas res, partim verò ad perniciosissimas affiget; ut te hâc viâ sensim, aut Boleslaum reddat crudelem, aut mollem Sardanapalum, Quod ne tibi contingat, non cum quibusvis vives: hosque abs te segregabis, quos dicam loquaces, delatores, nugaces, & laudatores tuos; (f) omnes isti corvi sunt tui, & his multò deteriores, illi enim mortuis, isti verò tibi vivo insidiantur. Consequens etiam est, ut inspiciamus locum, in quo habites, (g) de quo quidem facilis est sermo, cùm hoc constet, non cuivis arti quemvis convenire locum: fænerator urbem quærit, causidicus forum, arator agrum: tibi quoque, quem summum arti-

(e) Adulatores rectè monitis obstant. (f) Adulatores corvi. (g) Locus habitationis Regis.

tificem in Repub statuimus, pro ratione artis tuæ locus deligendus est. Tu Custos regni es, sic enim supra posuimus: custodi verò locus, non intra sed extra eas res, quas custodit, est attributus, ut generosus canis, non intra ovile, sed extra cubat, quò faciliùs sentiat lupos, persequatur, & arceat: contrà segnis & degener, latitat post oves, & interdum in sinum turpiter refugit pastoris. Patiare hoc loco quæso salutis communis causâ liberiùs quæ sentio monere. Tu Cracoviæ adolescentiam teris, in urbe præclara, & illustri fateor, sic enim est; nulla tamen cum tua laude. Est ea urbs tota in otio posita, & plane in penetralibus regni sita, (*b*) in qua nullum babere potes virtutis ostendendæ campum. Commodè quidem hic vives, non minùs quâm olim Ludovicus Budæ; sed non majorem etiam authoritatem apud tuos habebis, quàm olim habuit Ludovicus Budæ, qui mascharis illis suis, omnem spem suorum de se extinxerat. Cùm enim risum quærat maschara, quid quæso tam ridiculum est? quàm ex Rege mimus; Tu verò esto vir robustus, for-

tis,

(*b*) Cracovia.

tis, & invictus Sarmata: & relictis mascharis, aut Gallis, aut mollibus Italis, censeo, ut te in Gymnasium veræ virtutis in Russiam totum transferas, ex qua re hoc capies commodi. Primùm vives in labore & metu, hoc est vives cum optimis adolescentiæ duobus magistris, qui primùm varijs modis exercebunt te? postea prudentiâ, & consilio imbuent: tum verò hæc eadem res subditos tibi conjunget, & te omnibus amabilem efficiet, cùm viderint te suum Regem, non in puellarum cætuneque in máterno sinu domi latere; sed pro sua salute in hostico excubare: putabunt sibi tunc revixisse Jagiellonem proavum, Càsimirum avum, Sigismundum etiam patrem tuum repubuisse; cùm in tua indole, verissimam illorum imaginem virtutis expressam agnoverint. Hæc meditare o Rex! istos cogita: hos imitare. Quod si feceris, facilè te eximes ex obtrectatorum ore, falso forrasse, sed tamen assiduo; & te efficies laudabilem, non luxuriosæ juventuti, neque impudenti parasitorum gregi, sed auctis gentibus & imprimis regno tuo. Nunc quoniam omnis tua vita singularis non est, neque privata; sed

ſed communis atque publica, initio tibi conſtituendum eſt, ut eorum benevolentiam ſummo ſtudio tibi adjungas: quorum hominum Rex es: quæ præſidio ſola regibus eſt, (*i*) & ſine qua infirmum, incertumque eſt, quidquid in Regum opibus eſt. Porrò quoniam Equeſter ordo firmamentum regni tui eſt; hunc tu tibi omni ratione jungas cenſeo; id quod duabus potiſſimum rebus aſſequeris. Unâ, ſi nihil tuum in regno tuo eſſe dicas, ſed cuncta Reipub. adſcribas, & te Regem eſſe fateare, quaſi quendam cuſtodem: porrò, cuſtos nihil habet in his rebus ſuis quas cuſtodit, alioquin ejus ipſius rei non cuſtos erit, ſed dominus: eo pacto, & avaritiæ ſuſpitionem effugies, & ſpe liberalitatis tuæ, omnes ad amandum te allicies. Altera verò res eſt, quæ ad conciliandam benevolentiam equitum plurimum valet, ſi eos quos bellis gerendis idoneos, ordinibuque ducendis aptos, & quos milites adverſus excurſiones hoſtium excubantes, principes ſui ordinis eſſe duxerint, clementiâ tuâ complexus fueris; induſtriamque eorum ſtudiumque & de te; & de ſalute regni bene

(*i*) Favor ſubditorum Regi neceſſarius.

bene merendi, muneribus & honoribus debitis exornaveris, industriam amaueris; ignaviam mollesque animos neglexeris; paci & quietis rebus studentes, in consilium allegeris; principes seditiosorum compresseris, proculque à consilijs de Repub. amoveris. Sed & illud sedulò curabis, ne aut conquirendis possessionibus pro Rege vicinus sis subditis, aut contemptis bonis & fortibus viris: ipse charus sis nulli. Quomodo Regnum defendas, difficilis semper fuit habita ratio. (*k*) Pecuniâ collatâ, illud defendi quibusdam non placuit, partim quod frequentibus tributis regnum jam exhausimus, partim verò, quod juventus ex hac ratione otium nacta, omni in luxu defluit, quam corrigere & utilem regno efficere, facilè non est, nisi prius mutetur abs te tota defensionis ratio. Et si ex me scire vis, quæ ratio mihi placet, dicam, quæ olim placuerat sapientibus. Vniversa Respub. nostra in decem & duos Palatinatus (ni fallor) est distributa: ex his si ita partes facias, ut pro ratione temporis, hoc anno militent, verbi gra-

(*k*) Ratio regni tuendi & juventutis exercendæ.

gratia Palatinatus tres, altero totidem, & sic deinceps.; commodissimè hoc modo Rempub. defendes: nam contra majorem vim parata est tibi generalis expeditio. Talis militia, vide, quanta bona nobis adferat: primò, requiescent à tributo coloni: deinde necessitate militandi juventus avocata à luxu, assvescet labori, & condiscet oneri: horum præterea patres, cum quadam æmulatione curabunt diligentiùs equos, arma, conquirent currus, & reliquum belli instrumentum semper domi paratum habebunt, cùm certò sciverint, post tertium quemque aut quartum annum circulo ad se redire bellum: nunc autem, quàm frigeant apud eos omnia, tacebo, ne & meos tangam. Sapienter hoc illi videbant veteres Græci, qui hac sola ratione, & luxum de Repub. tollebant, & hostem ab illa arcebant. Dixi quod scivi, tu sequere meliora, si hæc non placebunt. Tu ergo Rempub. hunc in modum & bello, & pace reges. Sed quoniam omne regnum tuum, in belli & pacis rationes distribuitur, quorum utrumque certis legibus in nostra Repub. tibi est circumscriptum; non abs re quæri videtur

tur cùm in tuo regno, hæc duo ſint præcipua Lex & Rex, utrum horum alterô ſit majus? (*l*) ut omni errore ſublato, intra fines officij tui certus conſiſtas. Si enim audiamus Romanos Juriſconſultos, hoc eſt Tyrannorum paraſitos? ſine dubio omnia ſumma in regno tribuemus Regi. Nam & juſtitiam ipſam utilitate Regis definiemus, & legem, ipſius dicemus eſſe placitum: nunquam interrogabimus Regem, qua, re? nunquam juſiurandum erranti proferemus: ipſum poſtremò fatebimur vitæ neciſque noſtræ dominum, & hæc, quò certiora ſint Regi, communierunt illi crimine Majeſtatis læſæ. At nos non in Neronis regno nati, ſed in Sigiſmundi editi patria, ita à majoribus noſtris edocti ſumus: ut ſciamus Regem deligi propter regnum, non regnum conſtitui propter Regem. Ex qua ratione multó nobiliùs atque digniùs regnum arbitramur eſſe Rege. Lex verò, cùm anima ſit & mens regni, ideo potior eſt proculdubio regno, & conſequenter Rege. Major ergo erit lex, quam Rex, & melior, & longè illo nobilior, quid ergo eſt lex? ego dicam:

Lex

(*l*) Comparatio legis cum Rege.

Lex ipsa, princeps liberi regni est, ut jam docui, sed muta, cœca, & surda: ob quam causam etiam unus homo deligitur, quem Regem vocamus, qui lingua, oculus, auris sit legis. Quod si lex audire, vidére, loqui posset; nulla gens deligeret Regem; ipsa enim lex præciperet quid opus esset factô, sed cùm hoc non potest, interpretem habet Regem. Si quis ergo Trebonianus, aut aliquis ex servitute Romana Vlpianus tibi blandiens, te summum in tuo Regno esse dicat; negato: legem in tua patria regnare dicito, non hominem. Tu igitur quis es, si quærat, sic responde piè, & verè: Rex ego sum: hoc est, lingva, oculus, auris legis, & breviter: interpres legis; ita ut etiam jureiurando obstrinxerim fidem regno, ne aliud loquar, quam, quod vult lex. Talis responsio, ut vera erit, ita præclara atque magnifica, & digna Casimiri magni successore. Hic enim nobis primus sanctissimas & justissimas leges dedit, quas omnes, illis exceptis impijs, de homicidio, te venerari æquum est, & ab illis ne transversum quidem ungvem discedere. Cùm enim lex sit donum Dei, ulciscitur Deus violatores sui muneris,

neris, cæde, ſeditione, exilio, hoſte, ſervitute: transfert poſtremò regnum de gente in gentem ob violatas leges. Multa poſſem tibi exempla proferre, tam nova quàm vetera, quibus liquet miſerabiles ſemper fuiſſe Tyrannorum exitus, id quod etiam diſticho notatum eſt:

Iuſtitia & pietas validæ ſunt Principis arces, (m) Nulla Tyrannorum vis diuturna fuit.

Sed cùm ad alia propero, & tuæ acietati occurro, ideo hæc omittam, & illud concludam. Si legem ipſe tibi in Regno veluti alterum Regem præfeceris, beatum quoque faciet te Deus, & regnũ tuum, quòd te voluntati ipſius ultro totum ſubieceris. At ſi hunc ordinem mutaveris, & te dominum legis conſtitueris; mutabit etiam dominus regnũ tuum, & tradet illud aut hoſti aut ſervo tuo. Tot erant admonendi tui forte capita: nam illa, quæ cum multis videbantur tibi eſſe communia, prætermiſi: neque enim nos te, ut privatum aliquem hominem admonuimus, ſed ut Regem, cujus omnis vita, cùm referatur ad regnum earum rerum

tan-

(*m*) Iuſtitia arx Regum.

tantum capita posuimus, sine quibus Rex utilis regno esse non potest: trita verò & vulgaria ut dixi, rejecimus. Nam si te, verbi gratiâ, admonerem; quo pacto cum uxore, quam ducis, vivas, sic monerem: Svaviorem quidem nullum esse comitem, diligenter tamen cavendum præciperem, ne illa svavitate sua ita influat in tuum animum, ut aut omnem curam regni aboleat ex animo tuo, aut totam in se transferat: hoc ego si ita te monerem, neque tu, neque quispiam alter magnoperè attenderet; omnibus enim maritis generaliter hoc à sapientibus præcipitur, ne quid aliud mulieris ingenio permittant, præter domûs curam. Ideo hæc, atque his similia prætermisi, his tantùm contentus fui, quæ tibi soli erant propria. Proinde nemo me neque negligentiæ, neque imprudentiæ jure damnabit, quòd multa sciens omisi. Hac ego prima parte suscepti negotij hunc in modum constituta, jam aggrediar secundam.

PARS II.

de Senatu.

DE Senatu hoc in summa scito, non alia re dignosci bonum Regem à Tyranno, nisi conditione senatûs; nam & tuetur suos Tyrannus ut Rex, & justè interdum decernit, & aliquando suis ignoscit, at senatus nunquam similis est Regi. Etenim Tyrannus senatum aut non habet, aut si habet ex hominibus nequam collectum habet. Cùm enim ad suam ipsius utilitatem cunctam *R*empub. referat, cavet diligenter, ne quis illi obstet. Et si quando socios non tuendæ sed perdendæ Reipub. legit, imprimis curat, ne quis horum sit aut lingvâ aut sententiâ liber. Diligenter enim cavet, ne quo casu homines genere, doctrinâ, virtute illustres in sua tyrannide crescant; sed tum beatum se esse putat, cùm viros fortes, magnanimos, prudentes, doctos, & divites, è dominatu suo exterminaverit. Contra verò

Rex

(*n*) Tyranni & Regis comparatio.

Rex, quoniam non suâ; sed suorum causâ, princeps in Repub. constituitur; ut eò plus prosit regno, adsciicit sibi socium optimum, & præstantissimum quemque; cujus authotitatem metuat, cujus consilio pareat, sententiâ verò Rempub. bello & pace conservet, òb quam etiam causam, ingeniosos & doctos colit, quòd eorum operâ scit se habiturum viros Reipub. idoneos, sine quibus nulli hominum cœtus, neque ulla Respub. diu stare potest. Quod cùm ita sit summam curam in deligendo senatu adhibebis. Vt ex delecto tuo consilio Regem verum te esse, non Tyrannum, omnes homines facilè intelligant. Avaro, cave ullam partem regni committas: quod etiam sacræ literæ vetant, aliquid credendum esse avaro. Et Paulus Apostolus: Radix inquit; omnium vitiorum avaritia est. Huic vitio proxima est luxuria, quæ nisi esset, avaros nullos haberemus, (*p*) necesse enim est eum aliena appetere, qui sua profundit. Hinc nascuntur in Repub: doli, fraudes, proditiones, rapinæ, dissensiones,

(*o*) Senatus qualis esse debet. (*p*) Aliena appetunt qui sua profundunt.

nes, ac tenuiorum oppreſſio. Quare, ut ab hoc malo regnum tuum liberes; homines frugi, temperantes, in ſenatum legito, qui contenti ſint ſuo, & ſi ita neceſſe ſit, parvo. Hominem etiam obſcuro aut notato Patre ortum, non admittunt ad Rempub. ſapientes quod, ut magnus theſaurus libertatis eſt liberis, virtus parentis; ita contra ſervilem reddit filium ignobilis vita patris. Tu verò ut ſplendidum conſilium habeas, viros illuſtres, & clariſſimis parentibus ortos, quantum potes deliges, partim quòd veluti columnæ quædam regni tui ſint, partim verò, (*q*) quod longo ſæculorum tractu regnicolæ cæteri, harum familiarum authoritati jam parere didicerunt. Jd quod tu aſſiduè experiris, non idem valere in tuo regno cæterorum, ut valet Tarnowſki, ac Kmithæ, Thęczyński, & aliorum ſimilium nomen. Sed illud tamen fac memineris, honores virtutis, non generis eſſe præmium: ut ſi quis Kmitha ſit huic clariſſimo & magno Palatino diſſimilis lurco, ganeo, helluo, nepos, ſit verò quiſpiam Grzybowſki vitâ & moribus huic contrarius, & planè vir

(*q*) Authoritas familiarum vetuſtarum.

bonus, tu hunc verum Kmitham esse putabis, (r) illum vero nebulonem, fuste à tua Repub. arcebis, hoc enim hominum genus triplex ad Rempub. non admittunt sapientes. Cum ergo legitimus senatus tantùm in regno possit; ut in manu ipsius planè salus sit regni, nihil te ita oportet curare, quàm ut sit conveniens: (s) neque enim alia res est, quæ citiùs dissolvat Rempub. quàm discordia senatûs. Dissensione siquidem Cæsaris & Pompeij perijt Roma: intestinis etiam odijs Senatûs, Hungaria nuper funditùs interijt. Hic casus etiam nobis pertimescendus est: nam & nos occultis ardemus odijs, de quibus antequam dicam, petam à senatoribus nostris hanc veniam, ut mihi liberè vera loqui apud te liceat; cogor enim charitate patriæ, & fide in te Regem meum singulari: quem video gubernacula regni firmiter tenere non posse in summa quorundam discordia, cùm adversa factio senatûs soleat incertum reddere animum Regis: quæ res tolerabilior ubique esset, si inferioris ordinis viros exagitaret, sed cùm versetur inter principes, ferendum tibi

(r) Degeneres negligendi. (s) Concordia Senatûs.

bi non eſt, præſertim cùm eò iam proceſſerit odium; ut etiam vivo Patre Tuo, nihil aliud quidam cogitent; quàm quomodo dignitate alter ſpoliet alterum, & quo pactò damnô, injurâ, contumeliâ, infamiâ, afficiat pars altera addictos parti alteri. Hunc in uſum ſervantur mille; cauſidici, rabulæ mille; ita ut ſi nonnullos accedas, invenias eos cauſidicorum cunctos corona conſultantium, quomodo hic citandus eſt, quomodo iſte eludendus, qua ratione iſte è regno pellendus aut notandus. Ego neminem hoc in loco nomino, tantùm errores admoneo. Proinde nemo mihi iraſcetur, niſi prius de ſe confiteatur. Quis enim eſt tam ferreus, qui hoc ferat? homines authoritatis ſummæ relicta Repub. in tam periculoſo tempore nihil cogitare, niſi per lapſus, citationes, niſi bannitiones, & triplicata vadia? Quis autem ex his moribus ſi durabunt aliud ſperet, quàm certiſſimum regni tui interitum? quod ſi tu negligis, & ſi dies atque noctes parentem tuum ſapientiſſimum Regem non ſollicitas, placatos & convenientes ſenatores tibi ut relinquat; aut regnabis malè, aut omninò non regnabis:

momento peribunt, quæ tibi relinquet pater, principum diſcordiâ. (*t*) Tollendi verò hujus mutui odij & diſſenſionis unam eſſe cauſam à prudentibus audivi, quam hîc ponam. Meum, & tuum, ſunt duo omnis diſcordiæ civilis fontes, ex quibus promanant, & profluunt lites & controverſiæ forenſes: ex his deinde naſcuntur odia: ex odijs fiunt poſtea ſeditiones: ſeditionem verò certus regni conſequitur finis. Vt ergo ſit regnum ſalvum, meum & tuum non verſetur inter ſenatores tuos: non diſceptent de illo, neque judicent; ad alios hæc relegentur judices. Sint ſenatores regni patres, liberi ab odio, convenientes, nõ controverſi. Habeant animum, non obfuſcatum malevolentiâ, non impeditum odiô, non cœcum invidiâ, ut purâ & ſincerâ mente, quid noceat, quidvè proſit regno, certiùs videant. Quod fieri non poteſt, quamdiu privatarum rerum ipſi fuerint judices. Atque utinam aliquando illa præteritorum comitiorum valeat apud te ſententia, quæ cenſuit conſtituendum eſſe judicium in regno ex delectis judi-
cibus

(*t*) Diſſentientis ſenatus incommoda.

cibus, (*u*) ad quos omnes controversiæ rerum privatarum deferantur: & ut ab ijs nulla ſit provocatio, ſed illorum judicio ſtetur, quidquid decernerent. Nihil meâ ſententiâ neque utiliùs, neque quòd ad ſalutem hujus regni magis pertineat, potuit decerni; Hoc enim modò vixit olim ſalvis rebus Græcia, quæ ex primoribus civitatibus delectos viros habuit, omnium controverſiarum ſuarum judices, quos Græci Amphictionas vocant. Quem deinde morem ſequta Roma, ad hunc eundem modum publicum conſtituit judicium, quod Rotam appellant. Et quoniam hæc judicia non tantùm juſtitiæ inter cives, ſed etiam pacis & concordiæ videbantur eſſe cauſæ; ideo & Gallia Parlamentum ſuum, ad hanc formam conſtituit, authoritate tanta, ut etiam Regem ipſum illi judicio in privatis cauſis ſubjiceret: & Germania quoque non diſſimili ratione unum judicium eſſe in cuncto imperio ſuo voluit, cujus authoritati pareret, quod vulgo Germani vocant *Kammerrecht*. Cùm ergo habeamus tot exempla retinendæ pacis, & concordiæ communis,

(*u*) Iudicia tribunalitia.

& cùm hoc etiam ipsum in comitijs flagitari videas, causa non est, cur non summo studio agas cum patre, ut pro sua sapientia, & pro salute hujus Reipub. quam ille per triginta & sex annos felicissimè gessit, constituat hoc tale judicium, quod tuo regno pacem, tranquillitatem, atque otium adferat; ut & senatores tui Rempub. diligentiùs curent, & adempta illis de meo & tuo potestate judicandi, in mutua charitate, atque benevolentia vivant. Præfectos provinciarum, quos Capitaneos vocant, diligentiùs observes censeo, (*x*) eo enim processit quorundam insolentia; ut nihil aliud interim dicam, ut servitus in quibusdam provinciis non sit expectanda major. Non solus est crede mihi in tuo regno N. multi sunt tales & deteriores illò, qui subditos tuos non pecuniis, neque marduris aut vulpis pelle, id quod N. fecit, sed villis, agris, pratis atque sylvis privaverunt. Aperi modo aures, & arrige, miserabiles undique fletus & gemitus tuorum audies, quorum ita oppressa est libertas quorundam potentiâ; ut Regi suo, calamitatem suam conqueri non audeant

(*x*) Capitanei quid faciant.

ant. (y) Qui si quando querantur, donum veversi miseris affliguntur modis: illicò enim præstò adest mors & terror subditorum tuorum causidicus; qui præfecti instinctu commentatur citationes, qui perlucra numerat, & perlucrorum nomine dolo partorum omnibus bonis me exturbat; quid? mox ex mea villa bona fiunt regalia, & ager meus rapitur, pecus abigitur, & mihi bonorum interdicitur usus. Taceo minas & contumelias ingentes, ita ut optabilior sit quævis servitus Turcica. Quæ res, quàm in libero regno non sit ferenda, vides: malè enim cogitantes de Repub. facit cives. Quocirca, ut hac servitute regnum tuum liberes, advitalitates quas vocant nemini dederis; nam istarum spe multi insolescunt: deinde id, quod nuper justissimè factum est in homine teterrimo & rapacissimo, N. quòd inquisitores in eum sint missi: tales inquisitores sint perpetui velim, viri graves & fideles, qui provincialium injurias ad te deferant, ut metu iustitiæ tuæ, contineatur quorundam iniquitas. Ad hunc igitur tu modum eliges

&

(y) Libertatis exempla.

& corriges senatum, præfectosque coercebis. Sed quoniam in tuo consilio sanctissimi etiam sedent Episcopi, more majorum, hos tu venerabêre ut patres: qui ideo sunt in senatu tuo: ut omnium consiliorum tuorum censores sint & judices; ne quid fortè statuas. quod à Christi Domini religione sit alienum: (z) quos, ut tales semper habeas, quales habuit Casimirus avus tuus Sbigneum; Boleslaus Stanislaũ; & hujus successor Prandotam, partim optare partim verò curare debes. Jllud enim fac tibi persvadeas, dignitatem Episcopi esse tantã; ut nulla res post Deum, neque in terris, neque in cœlo reperiatur, quæ cum hac dignitate exæquatur. Hic enim primus habet claves cláudendi apperiendique cœlos: hic Spiritũ Sanctũ largitur Ecclesiæ: (a) hujus imperio subjecti sunt Reges, principes, nobiles, divites, puperes, audi quo te deducam. Isti omnes quos enumeravi, unum Christi ovile efficiunt. In quo quidẽ ovili, omnes sunt pares, non est servus, ut inquit Paulus, non est liber, non est unius conditio melior, neque alterius deterior; sed uno no-
mine

(z) Episcopi in Senatu. (a) Episcoporũ authoritas.

mine vocati Sancti, omnes ſubjecti ſumus Epiſcopo; Quod ſi ita eſt, ut certè eſt, quæſo ne tibi curioſum videatur eſſe, ſi à Majeſtate tua quæram, quo jure Rex in Eccleſia eligit Epiſcopum; aut cur tu potius quàm ego, aut quiſquam alter; cùm in æquali jure, poteſtas omnis ſit æqualis? (b) quid dices ô Rex: aut quomodo tibi id licere putabis? num Scripturâ? quæ tota contra te eſt: quæ docet, Stephanum Diaconum, non unius alicuius prærogativâ eſſe electum, ſed voluntate omnium, qui tunc erant Hieroſolymis cum Apoſtolis collecti. Mathiam etiam ad Epiſcopatûs munus ab Apoſtolis omnibus electum eſſe legimus. Ideo ſcripturam rationis tuæ teſtem proferre non potes: ſed legem aliquam fortaſſe proferes. Quam quæſo legem? ubi porrò notam? num in conciliis? quæ ad capitulum, hoc eſt, ad Canonicos, electionem Epiſcopi deferunt, quod hi in deligendo, Eccleſiam illam, quæ eget Epiſcopo, repræſentent; ut adhuc obſervari videmus Romæ, Salerburgi, Bambergæ, Magdeburgi, Vrathiſlaviæ, Olomuncii, & in pleriſque aliis civitati-

tati-

(b) Eligendi Epiſcopos vetus ratio.

tatibus. Legem itaque nullam reperies, quâ id tibi liceat. At exemplum fortasse vetus aliquod? nullum. Nam usque ad Casimirum avum tuum electio Episcoporum libera penes Ecclesiam in Polonia mansit. (c) Revolve annales veteres: inspice etiam historiam Polonicarum rerum; facilè intelliges, quâ ratione vetustissima Ecclesiæ consvetudo sit ab avo tuo in Polonia immutata. Si ergo neque scripturâ, neque lege, neque exemplô nominare Episcopum tibi liceat; fateare necesse est, Reges magnam vim inferre Ecclesiæ: & cum Spiritu Sancto apertè pugnare te, quòd homines profani & pares in Ecclesia cæteris legitimis electoribus vim eligendi præripiant: & suo arbitratu Episcopum quem velint, in Ecclesia Dei constituant; præsertim cum hoc scelus, alio cumuletur scelere, cùm huiusmodi verbis Episcopatum conferant: Regia Majestas pro Tuis Fidelibus Servitiis, Dat Tibi hunc Episcopatum. Non sic olim cum Canonica stabat electio, dicebatur: sed; Ita Visum Est Spiritui Sancto, Et nobis, ut sis hujus Ecclesiæ Episcopus. Nunc verò

(c) Capitularis electio Episcoporum, quando desiit.

verò in multis apparet quàm fit visum Spiritui Sancto, ut esset hic vel ille Episcopus; cùm nuper quidam non dissimulanter dixerit, sed apertè & palàm, & multis audientibus, se triginta annos servivisse pro Episcopatu, antequam sibi daretur. (*d*) Non audit hic vir bonus Christum dicentem; Non vos Me elegistis, sed Ego vos elegi. Deinde omnes Apostoli, hoc est Episcopi, Christum sequebantur vocati. Jlli verò qui se ultrò Christo offerebant, palam ab eo erant rejecti. Quapropter hæc plantatio ut vides non est Patris Cœlestis, quæ proculdubio eradicabitur, nisi jus eligendi vetus, Ecclesia recuperaverit. Ex qua re habebis multa bona: & primò Episcopos legitimos, non hominis unius gratiâ, sed multorum hominum censurâ electos: deinde, desinet vulgus queri de sinistris Clericorum moribus; nemo enim deligetur Episcopus, nisi qui probatus fuerit à multis, quem necesse est fieri moribus & vitâ singulari. Talis verò non patietur inferiores sui ordinis sibi esse dissimiles. Quæ si feceris, recuperabit per

te

(*d*) Servire pro beneficio an liceat.

te suam veterem dignitatem Ecclesia: tu te etiam gravissimâ liberabis culpâ, quòd cum Deo apertum bellum gerere nolueris, sed jugo Ecclesiæ Dei te totum subieceris. Qua quidem de re verbum ego hoc loco non facerem, nisi me ipsa stimularet conscientia, quòd videam neminem esse concionatorem, qui vos Reges publicè doceat, qualem rationem pro hac tanta vestra in Ecclesia Dei iniuria reddituri sitis Deo. Quare juxta Evangelium, cùm Klepars & cæteri Doctores sileant, (e) lapides clamare oportet. Tu itaque fac memineris te à me diligentissimè hujus erroris esse admonitum; ut in die horrendi judicii conscientia mea nullam culpam delicti ferat. Hæc ego scripsi ut potui, non hominibus imperitis, qui omnem doctrinam spernunt, sed tibi Regi summo, qui ita cum animo tuo statuere debes, potentiæ prudentiam esse coniunctam debere; quòd naturâ, altera harum virtutum quærat alteram, postuletque, & simul vivat cum altera. Nam & potentia absque prudentia viri-

(e) Joannes Klepars erat vir egregius, doctus, & pius Concionator, de re literaria & Academia Cracoviensi optimè meritus.

viribus ipſa ruit ſuis: & prudentia, cum ſit rerum domina, abſque potentia firma eſſe nequit. Quare cùm te eſſe ſentias Regem, nihil earum rerum contemnes, quæ ad augendam prudentiam pertinebunt: neque ita dices, Hoc me monuit privatus non Rex. Ego verò video in theatro pugiles, & in circulo curſores, non tantùm à fortibus viris, verùm etiam à pueris clamore incitari ad pugnam; quod tantùm clamor proſit perſonæ, ratio nulla ſit. Multos tibi proferre poſſem, qui privati cùm eſſent; benè rem gerere multos principes docuerunt: quorum memoria inter homines viget, eſtque immortalis. Nam & Simonides Pòéta multa docuit Pauſaniam Lacedæmoniũ & Thales Mileſius, Periandrum Corinthium: & Periclem Anaxagoras Claſomennius: Plato verò Diogenem. Ariſtoteles Alexandrum: Dlugos Sigiſmundum pâtrem tuum, qui omnes principes atque Reges: ſi iſtos, qui privati erant contempſiſſent, nunquam ad eam laudem atque immortalitatem inter homines perveniſſent. Neque ego me cum iſtis, ulla ex parte confero (non enim ita deſipio) ſed horum exemplo do-

doceo, privati hominis nomen nobis non obstare, quominus monitis nostris obtemperes, quæ ostendunt tibi compendium comparandæ inter homines laudis & gloriæ. Nam quod cæteris hominibus non contingit, ut sint noti multis, nisi peregrinentur: obeant, & peragrent multa, hoc tibi uno in loco assequi quomodo liceat, ostendimus. Cùm enim in excelsa sede summæ dignitatis sedeas, omnium gentium propemodum oculos defixos in te habeas; nullum paulò illustriùs abs te factum latere possit, sed statim omnibus innotescat, si quid simile repræsentaveris, aut Licurgo illi Lacedæmonio, aut Cyro Persæ, aut Sigismundo Polono, & si quis alter præterea prudentiâ, vitâ, & moribus excellit; simile sic illustrabitur nomen tuum in Polonia facilè & citò: & cum tua summa omnium laude versabitur, etiamsi nunquam Hierosolymam naviges. Si verò bonis fortunæ aut corporis deceptus, contemnes veritatis atque justitiæ præcepta, in isto quidem loco præalto sedebis; sed ita tamen sedebis ut te locus ornet, non tu locum. Verùm nos de te opinamur meliora,

quo-

quoties & indolem tuam & Jagellonum genus, à quo genere aliena semper fuit arrogantia; placidum enim, benignum, tractabile, docile, omne genus vestrum fuit. Accipies ergò hoc munus à fideli subdito, benigno & sereno vultu, ejusque imprimis commendatam habebis fidem, qui nihil aliud hoc scripto quærit, quàm tuam utilitatem, quam tibi ratam atque utilem propriamque Deus Optimus Maximus esse velit.

1543. Comitijs Cracovien: in nuptiis Inclitissimæ Dominæ Helizabethæ Regis Romanorum filiæ, quæ postea Dux fuit Lithvaniæ 1544. infelicissima; mortua enim est 1545. Agusti die.

STA-

STANISLAI
OKSZYC
ORZECHOWSKI
ROXOLANI
Fidelis Subditi.

LIBER SECUNDUS

Cùm Patri in Regno ſuccedas, optare debes & ipſe tibi, conſilia adminiſtrandi regni ſubire quàm plurima, & alios præſtò adeſſe, qui id, quod ex uſu futurum ſit tibi, liberè admoneant: quorum & ſi multi ſint, tamen neque me contemnes, qui rationes tuas crebrò expendens, agi mecum putem, ſi quid tu de officio remiſeris. Quare cùm enixè cupiam, & te meum Regem, & me tuum ſubditum dici, oſtendam tibi, qua-

qualem te Regem mihi velim esse, ut intelligas, qua authoritate regendus, quibus moribus conciliandus, quibusque artibus abs te sim tibi retinendus, ut ita inter nos utrinque fidelis constet ratio, & obedientiæ, & imperii: (*f*) utque tu mihi imperes sine querela, & ego tibi vicissim paream sine offensa. Hoc igitur scito, ut te idoneum esse putem, cui ego non còáctus, sed volens atque lubens paream, duabus rebus ad id tibi opus esse. Prima est, ut credam te in omni ratione regni tui nihil, nisi de meis commodis cogitare. Secunda; ut mihi certò persuadeam, te sapientiorem, justiorem, fortiorem atque meliorem virum esse, quàm sim ego. Alterò enim horum ut te amem, alterò verò ut tibi fidem habeam, perficies. Nam si de tua virtute, nulla fuerit apud me opinio; nulla etiam commodorum spes: quid illud erit tertium, quod aut amorem tibi apud me, aut fidẽ conciliet? Ergo hæc duo apud te simul fixa maneant, firmaque inter nos semper sint: nam & virtus sine utilitate, jeiuna est, & utilitas sine virtute incerta est, & ingrata. Quid enim tu

(*f*) Ratio retinendi subditi in officio.

apud me proficies, etiamsi omnia pro me profundas, si ego te insipientem, iniustum, imbellem, ac improbum Regem esse putavero? non benè sanè tum constaret inter nos ratio ipsius regni. Quare virtutibus omnibus, sapientiâ autem inprimis præstes necesse est, si idoneus mihi velis videri, quem ego ducem sequar. An tu me hominem pecude stolidiorem censes esse oportere? ipsum enim pecus sequitur, non tam datorem, quàm rectum ductorem ipsius pabuli. In hominum etiam ipsorum genere ægroti obediunt medicis, opinione artis impulsi: sic navigantes nauclero, sic milites suo parent duci: opinione sapientiæ ducti. Quapropter, si vis grandis à me videri, ante omnia dato operam, ut sapientior non solùm videaris, sed etiam sis, quàm sum ego. Simulatio enim ipsa sapientiæ præsertim, facilè inscitiâ coarguitur. Qui enim benè equitare se falsò simulat, is equo conscenso imperitiæ convincitur, ac tergo excussus, sæpè simulationis dat pœnas. Idem tibi faciendum est, ut rarò promissis, semper autem rebus ipsis mecum agas; ne si mihi sæpè multa de tua sapientia

pro-

promiſeris, pauca verò re ipſa præſtiteris, canem me illum facias, quem cùm Venator in prædam ſæpè incitat, rarò autem illi prædam objectat, incredulum illum ac ſegnem, etiam ad certam prædam facit. Quibus autem rebus opinionem veræ & excellentis ſapientiæ apud me tibi comparare poſſis, dicam, ſed audituro. Imprimis fac intelligam, te non minus in te ipſo, quàm in me regendo ſapientem eſſe Regem, (g) fruſtra enim tu me regere voles, ſi ipſe te regere non potueris. Quare putato tu te tibi quaſi Rembub quandam eſſe, in qua tu mihi demonſtrare debes omnes ſenſus atque nervos ſapientiæ tuæ, ut in te ipſo experimentum clariùs faciã, quantum ad me ea regendũ tranſlata in me ſint valitura. Qua in rc idẽ facies, quod pictores ſolent, qui cũ ſpecimen artis edunt, ad ſpeculũ ipſi ſe pingunt, quod quidem in pictura eſt ſummum. Quod ſi ij vultus ſuos ex ſpeculo penicillo aſſequi non poſſunt, tantò minus creduntur poſſe aliorum. Illi vero qui hoc poſſunt, ſummi in arte habentur. Quales in Germania vidimus olim Durerium Norimbergæ, &

(g) Qui ſe ipſum neſcit regere, alios non poteſt.

Lucam Vitembergæ. Ad horum exemplum tibi quoque efficiendum eſt, ut omnis ratio tuæ ſapientiæ, in tua vita mihi appareat. Quod ſi mihi planum fiet, non dubitabo eandem viam, prudentiam tuam in me gubernando habituram, quæ in te ipſo habuerit. Si ergo hoc primum & præcipuum, ad comparandam ſapientiæ opinionem, ut ipſe te noſcas, atque vivendo totum exprimas: id quod etiam Apollo præcepit Pythius. Secundum eſt, quod ad eandem rem valet, nempe ut videam te ſapientibus hominibus non ſolùm delectari, ſed etiam cum illis vivere, ac illis deditum eſſe, illorum præcepta audire, legere, ac tenere, & ſecundum illa regnare: quod ego cùm animadvertero, ſimilem te quoque illis arbitrabor eſſe, quorum conſvetudine lætabere. Et ut te id agere verè & ex animo intelligam, removebis abs te homines libidinoſos, avaros, ac facinoroſos: hyſtriones item, atque mimos; ne qua ex horum convictu naſcatur de te apud me opinio ſapientiæ adverſa. Quantum ergo potes da operam, ut in omni victu, atque cultu tuo ſemper ſint tecum graves viri, probati, atque

docti

docti: nec verò multùm refert, ex tuo ne illi regno sint, an ex alieno: nam ut equis probis uteris, non cures Polonici ne illi sint, an peregrini; sic etiam hominibus ipsis utare absque discrimine ad tuam, regnique tui utilitatem. In quibus tamen deligendis adhibenda est abs te ratio diligens: multi enim sunt qui cùm ab illa vera & germana sapientia longissimè absint, sapientiam tamen ipsam mirificè simulant. (h) Hoc tu perniciosum genus hominum, ventrique ac lucro deditum fuge; insolentem enim Regem facit, arrogantem, ac degenerem: quos tu omnes hac una regulâ cognosces, quam hic ponam. Quemcunque inhumanum, arrogantem, avarum, ac plebanipetam videris, hunc tu insipientem esse dicito, & tuo convictu indignum, etiam si is barbatus fuerit, tristis, ac superciliosus, multorumque titulorum Doctor ejus doctrinæ, quam ille verè nunquam didicit. Quid ita? quia sapientia illa vera, & non ficta doctrina, habet humanitatem adjunctam; (i) horret titulos: liberalitate ducitur, ac quodam externarum re-

(q) Sapientia simulata. (i) Vera sapientia.

rum neglectu lætatur. Non ergo homines ex titulis tibi deliges, ſed ex rebus ipſis ad regni tui ſummam pertinentibus. Tales homines priſci illi Philoſophos appellabant, quòd hi eam traderent doctrinam, qua hominum vita regitur & continetur, (*k*) ut veriſſima converſione omnes amatores ſapientiæ, ſint amatores ipſius Reipub. & contrà. Hos ergo tibi adiunges ſummo ſtudio, ſummaque tua benevolentiâ. Reſtat ordine quidem ad parandam ſapientiæ opinionem poſtremum: ut videlicet ſcholas & gymnaſia, hoc eſt, ipſius ſapientiæ domicilia in regno, ubi non ſunt, conſtituas, (*l*) ubi verò collapſa ſunt, reſtituas. In quibus juventutis regni tui indoles, ad humanitatem ſapientiamque informetur: & in quibus etiam tui ſubditi à pueris, & bene rem agere, & tibi ſapienter imperanti parere condiſcant. Quodſi hiſce rudimentis neglectis, legibus ac pœnis ad virtutem Cives tuos impelles; idem facies, ac ſi quis pœnâ cogat ſcopum attingere eum, quem nunquam iacu-
lari

(*k*) Philoſophi veteres qui. (*l*) Scholas neceſſarias eſſe in regno.

lari didicerat. Quare ad augendam sapientiæ famam, illud vehementer conferre existimes, ut Gymnasium Cracovien: quod Proavus tuus condidit, constituas: (*m*) quod ita sane efficies, si publico edicto, hoc istud Gymnasium, perpurgaveris mendis illis infinitis, ex eoque sustuleris authores illos, non probatos & barbaros, minimeque regno utiles, Copulatos, Holcotos, atque Bricottos, (*n*) Glogovitam, item illum impurum, unde mercede publica dediscenda discuntur à tuis, amoveris. Quare publico edicto coge collegas illos viros excellentes, pro hac ista hominum impurissima fece, recipere in collegium authores probatos, tam Græcos quàm Latinos, ut ex hoc ceu fonte quodam puro & nitido, fluat illa Regia doctrina, quæ sapientes efficiat tibi cives tuos, regnoque tuo aptos. Ad eundem modum scholas ipsas privatas summo studio refice, (*o*) illarumque scholasticis, non aulicos istos nitentes purpurâ & bysso, sed homines eruditos præfice, quorum operâ juventus doctior reddatur, regnoque tuo paratior.

(*m*) Academia Cracovien: (*n*) Turpes præceptores ex Academia pellendi. (*o*) Scholæ privatæ.

ratior. Proinde & in Gymnasijs & in scholis cura, ut opera tua constituantur fideles magistri, qui demonstrent, doceant, atque consuefaciant juvenes talia à teneris probare ac agere; (p) quæ bonos, gloriosos, ac felices illos matura jam ætate possent efficere: contra verò his spretis, atque neglectis, illi ijdem magistri summo persvadeant studio, summam turpitudinem, infamiam ac miseriam, juvenibus esse expectandam. Hac tu una & eadem operâ & sapientes subditos tibi efficies & ipse te mirificè omnibus commendabis. Putabimus enim te esse singularem artificem, quoties fuerimus hoc tuum opus contemplati: ostendes enim nobis in hoc isto opere imaginem mentis tuæ, quod perficere nullo modo poteris, nisi prius ipse sapiens fueris; signum enim scientis est, posse docere: (q) docebis autem tu cives tuos, si curaveris, ubi discant, & à quo discant. Noli putare Auguste ad opinionem sapientiæ aliam viam esse præter eam, quam vides, nempe (repetam enim) ut ipse te ante omnia regas sapienter: deinde, ut cum sapientibus vivas; postremò, ut

(p) Magistri quales. (q) Signum scientis.

ut sapientes subditos tuos efficias. (*r*) Hæc prima & summa est Regiæ celsitudinis tuæ commendatio. Nunc accipe huic proximam, quæ etiam ex hac ista ortum ducit. Sequitur enim justitia ipsa, qua virtute efficiendum tibi est, ut tu in hoc regno justissimus omniū esse videâre. Nā si tu, aut æquè sapiens aut æquè justus fueris ut sum ego; quid inter erit inter me & te, hoc est, inter Regē & subditum? nihil opinor. Quare ut præstare hac ista virtutis laude videâre, justitiam cole, ipsamque diligenter exerce, non solùm hoc ipso vulgari more, quo de illa Rabulæ loquuntur; sed etiam hoc isto singulari atque Regio, quo virtuti præmium, vitio verò sua redditur pœna, Cùm enim omnis hominum cœtus boni alicuius causâ conveniat, danda tibi est opera, ut illud ipsum summum bonum, cujus causâ hic regni tui cœtus convenit, (*s*) præmijs ac muneribus tuis excitetur, ac in hoc regno abs te fideliter retineatur. Est autem illud summum ac postremum bonorum omnium, ut sub tuo jure atque imperio convenienter legi-

bus

(*r*) Commendatio Regis. (*s*) Cœtus hominum Cur instituti.

bus atque naturæ omnes in hoc regno vivamus. Hic finis tibi propositus est: ad hunc tu finem omnem cursum regni tui dirigas necesse est, si hunc istum Polonicum cœtum, non diuturnum tantum, sed etiam beatum ac felicem facere cogitas. Quod tu sanè hac viâ assequêre, si curaveris, ne in hoc isto Polonico cœtu virtus cedat vitio: nevè indignis id abs te tribuatur, quod dignis est tribuendum. Quod si quid tu hic erraveris, dissolvetur hic tui regni cœtus, & opinione tua citiùs dissipabitur. Sævit enim neglecta virtus, (*t*) furit, ac nimium seditiosa est, resque ipsas communes perire cupit, cùm videt se esse relictam. Neque verò aliam causam seditionum regnorumque ipsorum amittendorum puta esse; quàm hanc istam universam distributionem bonorum atque munerum. Recense hoc loco Græcorum atque Latinorum historias, id quod te studiosè facere audio; reperies viros magnos ac excellentes, cùm se neglectos esse non ferrent, patrias suas funditus evertisse. Jam verò ipsius Tyranni nullum argumentum est aliud, (*u*) quam hæc ista

inæ-

(*t*) Virtus neglecta. (*u*) Tyranni signum.

inæqualitas, sive injustitia distribuendi. Cum enim Tyrannus sit pæstis quædam conflata ex varijs vitijs, conversione munerum, ac in illorum improbos collatione; virtutem ipsam infamiâ quasi inédiâ quadâm extinguit ac delet. Nam ut corpora nostra suo vivunt cibô; (*x*) sic virtus suo vivit præmiô; quæ, ne qua in libera Repub. extet, omnis Tyrannus curat; apud quem in distribuendis honoribus valent pecuniæ, valent preces, valet compotatio, collusio, scortatio, & illa nutricula Tyrannidis assidua valet adulatio. Ita Tyranni hisce debere se omnia arbitrantur, quos aut utilitatis aut libidinis suæ nôrunt esse magistros. Quibus ut tu te dissimilem præstes, in distribuendis honoribus, esto omnium diligentissimus, atque justissimus: nihil apud te in petitionne valeat pecunia; excœcat enim oculos sapientum, (*y*) & subvertit corda justorum: preces etiam tantum apud te valeant, quantum cujusque dignitas ac Reipub. utilitas postulabit: quæ tantùm apud te posse debet, ut boni viri ultrò etiam appetendi sint tibi potius; ut ad Rempub.

(*x*) Virtutis vegetatio. (*y*) Pecunia excœcat.

pub. accedant, quàm ut illam indignis petentibus concedas. Cùm ergo homines ebriosi, effæminati, atque degeneres abs te aliquos honores petiverint, responde illis; honores regni abs te deberi viris veracibus, fortibus, atque temperantibus, qui & vera dicere, & fortiter agere, & sobriè norûnt vivere; quales cùm neque adulatores, neque effæminati, neque ebriosi sint; (z) dic non honore illos dignos esse, sed pœnâ. Quod cùm feceris, virtus tum in Polonia crescet, algebit vitium, improbitas etiam ipsa desperatione frangetur, atque infamiâ: tu etiam ad te amandum, invitabis hoc modo optimum & præstantissimum quemque cùm te fidelem dispensatorem opum regni viderimus esse, & cùm te uti, non abuti copijs publicis hoc isto pacto cognoverimus. Jam illa altera pars justitiæ, quæ legibus continetur, facilior tibi ad absolvendum erit, si priorem illam diligentiùs tractaveris: hanc enim secundam justitiæ partem, putare debes in tua Repub. quasi medicinam quandam esse sanandorum vitiorum regni tui. Debes tu quidem

curare,

(z) Qui honore indigni.

curare, ut sanum semper præstes Reipub. corpus; in hoc enim summa laus, ut medici, ita ipsius Regis est. Sed tamen, si quæ regni tui partes aliquo vitio aliquando laboraverint, illas tu legibus cures æqualiter, idemque facias, quod medici solent, qui in curando non cogitant, (*a*) sitné dives an pauper, dominus an servus, civis an peregrinus, is quem curant; satis enim illis in medendo est, scire hunc ægrotum esse, hocque vel illo affectum morbo; nihilque præterea. Sic tu ad horum modum tolle in judicando omnem personarum respectum. Intersit sanè aliquid inter hominum ipsorum dignitatem, sed inter reorum errata nihil omninò intersit. Quòd si quid tu inter hæc interesse volueris, etsi personam in judicio acceperis; nunquam hanc Rempub. hac ista injustitia quasi morbo quodam liberabis: querelæ etiam istæ, in quibus vivis, & quas exaudis, nunquam conticescent, quæ non aliunde sunt ortæ, quàm quòd antè in judicio valebat authoritas, valebat conditio, valebat ipsius personæ respectus: vis etiam sæpè valebat, at-
que

(*a*) Justitia discrimen non agnoscit personarum.

que metus: is in judicio vincebat, qui aut ipſe potens erat, aut advocatum potentem habebat: ita ex hac inæquali judicandi ratione, nata eſt iſta intolerabilis quorundam potentia; quæ cùm in judicio, in compromiſſo, in ſequeſtro, in arbitrio ſola regnaret, jus omne in hoc regno oppreſſit; pro unoque Rege, multos Reges nobis peperit; (*b*) qui noſtris rebus utuntur ut volunt, judicant ut volunt; quibus liberi non videmur eſſe: atque ita in provincijs miſeri afflictique ab his ſumus, ac ſi nullus in Polonia omninò Rex eſſet, vindex maleficij, (*c*) patronus autem libertatis noſtræ communis. Attolle oculos Auguſte & vide, excuteque præfecturas regni tui diligenter, in multis nihil reperies, præter crudeliſſimum quorundam dominatum, qui cunctas ſubditorum tuorum res, ad lucrum prædamque ſuam revocârunt, immunitates ſuſtulerunt, libertates oppreſſerunt, leges violaverunt, calumnias exquiſitas juribus apposuerut noſtris, cauſidicos contra nos comparaverunt: quorum fraude ac fallacijs inverterunt jus, contorſerunt leges,

(*b*) Multi Reges in regno. (*c*) querelæ.

ges, falſaverunt acta publica; confingunt perlucra, bonis pellunt, regnô proſcribunt quem volunt, quando volunt, & quomodo volunt. Quid ergo nunc illa minora, non ferenda tamen commemorem? abactiones pecorum, excidium ſylvarum, cœdes gregum, armentorum, reliquumque pecoris quodcunque nacti ſunt, rapiuntur coloni noſtri, diripiuntur villæ, vectigalia vetita exiguntur, minæ poſtremò neque raro interponuntur. Ita imago nulla in Polonia ab his relicta eſt veteris libertatis. Hæc tanta atque poſtrema regni tui mala, ſunt orta ex inæqualitate (*d*) judiciorum ipſorum. In quibus dum dignitate quidam ſe tuentur, non innocentiâ, potentia iſta crevit, quæ non ſolùm tenuioribus intolerabilis eſt, ſed etiam tibi ipſi, niſi provides, formidabilis. Quid enim tu contra hos poteris? qui, ſi non alia re, ipſo tamen advitalitatis jure: non tuas ſed ſuas provincias eſſe dicunt, (*e*) & penè hæreditarias, in quibus illi regnant ita, ut Regis ratio in provincijs prorſus nulla ſit: tantum enim jam profecerunt, ut provinciales homines,

con-

(*d*) Iudicia. (*e*) Capitanei.

consvefecerint omnia à se: nihil autem à te sperare: sibi omnia, tibi nihil tribuere: se timeri, tui autem nullam rationem haberi. Ita illud dulce Regij præsidij nomen, quod apud majores nostros summum contra injuriam fuit, totum sublatum est: exitiale siquidem illud jam est factum, quod salutare olim fuit. Si quis præfecto rapienti, spolianti, ac postremò intentanti obijciat illud, sciet hoc Rex, dicam hoc Regi, conquerar Regi, nimiùm acerba ac funesta hæc mihi redditur vox; conduplicatur enim calamitas: geminantur mala omnia: & nisi procidens veniam pro hac ista voce missa petam; non villa tantùm, neque sylva, sed patria ipsa, vitaque est mihi deserenda. Tantùm nobis obest Regiæ potestatis tuæ appellatio; ut nulla res apud præfectos nobis obsit magis: ita, quod oppressis solatio debuit esse, exitio jam est facta. Quare eò miseriarum jam venimus, ut si in nonnullis provincijs, quempiam casu requiras, cujus nam sit; paucos reperies, qui se Regium esse dicat: pro se enim quisque certatim respondebit, se hujus, vel illius præfecti esse: tuum autem

tem qui se esse dicat, reperies planè neminem. At hæc misera responsio non benevolentiâ aliqua, aut beneficiò à nobis exprimitur, sed vi ac metu, atque crudelissimò rerum omnium cruciatu. Quamobrem hujus tantæ ac tam fœdæ postremæque servitutis, sit aliquando, vel te Rege Auguste, finis aliquis, satis diu jam miseri fuimus, satis servivimus, satis omnibus injurijs oppressi sumus: liceat jam tandem respirare aliquando: liceat tibi soli parere, ac æqualiter cum omnibus æquo jure vivere; quod tùm fiet, (*f*) cùm non tantùm titulum, sed vim quoque & potestatem tuam Regiam ex æquo omnes in provincijs fuerimus experti. Quod si feceris, cessabit hic communis luctus; cessabunt etiam illa miserorum vota, Turcæ dominatum præoptantium. Compesce igitur hos, qui in judicijs regnare, ac in comitijs soli omnia posse volent, quique conventus ipsos particulares, nuntios terrarum, judices, subjudices, notarios, succamerarios, ac commissarios, ad opprimendum nos, ad infirmandas leges, ad evertenda judicia, ad consta-

(*f*) Libertas tantùm jactata.

biliendam poſtremò potentiam ſuam compoſuerunt atque inſtruxerunt, ut hoc modo ſoli omnia in hoç regno poſſint, utque tu præ illis quidvis potius, quã Rex eſſe videaris. Quod ſi tu hoc lòco à me requiras, quodnam remedium hiſce tot incommodis afferre queas; dicam, quod ſentio. Regum in Polonia veterum ſapientia mihi vehementer probatur, qui certo tempore anni, omnes provincias hujus regni obibant, (g) id quod liquet ex his adhuc, quos officiales terrarum vocamus, quorum nomina retinuimus, rem autem ipſam ſummo cum detrimento regni amiſimus. Sunt enim ſingulis in provinciis ut ſcis ſuccamerarij primùm, præfecti cubiculi Regij, ſunt dapiferi menſæ miniſtri, ſunt venatores, ſunt etiam judices ipſi, quaſi quidam ſyndici Regis, Provinciali judicio præſidentes: quos apparet ſingulis provincijs ideo fuiſſe olim inſtitutos, ut venienti anniverſario tempore in provinciam Regi, præſtò adeſſent. Repete Auguſte Rex, vetus atque adeò patrium exemplum: nuſquam domicilium vitæ certo in loco ponas: ver-

(g) Provinciæ regni viſendæ.

verſare ubique, notus fias ubique, confer te ad omnes regni tui partes, luſtra provincias, audi querimonias, puni ſontes, oppreſſos libera, ſitque apud te præfecturæ legitima adimendæ advitalitatis cauſa, oppreſſio miſerorum atque calamitatis. Quod cùm feceris, ſolus hoc pacto eris in Polonia Rex, ſolus tutor & patronus omnium: honoremque tuum Regium alijs non dabis, neque cum ullo ſubditorum tuorum hoc pacto illum communicabis. Nos etiam ipſi, tum demum deſperare deſinemus, cùm auxilium tuum præſens, quaſi Numen quoddam nobis adeſſe ſenſerimus: queremur enim te præſente liberè, expoſtulabimus liberè, contendemus etiam cum præfectis te diſceptatore liberè. Nunc verò, quia longiſſimè à nobis abes, raroque nos inviſas; prædæ atque direptioni præfectorum expoſiti ſumus, ac in miſera querelarum tempeſtate aſſiduè vivimus. Hoc igitur tu ante omnia facies. Deinde cura, ne quis ſenatorũ cauſam in ſenatu agat alicuius, (*h*) quod is tecum pro rata parte, quodam modo communis ſit hujus regni judex. Jam

(*h*) Amicitiæ rationem judiciis non ferendam.

verò in dicenda ſententia, cura, ne quis ſenatorum dicat illum amicum, hunc verò ſervum ſuum eſſe. Quid enim poteſt dici aut fingi indigniùs?, quàm neceſſitudinem prætexere injuriæ, aut te communi omnium domino audiente, ſervum quempiam ſubditorum tuorum à quopiam in judicio tuo appellari? Quare ut hic error tollatur, fac idem in Polonia, quod te aliquando in Lithuania feciſſe fama eſt: cùm enim in Lithuanico ſenatu (ut dicitur) diceret quidam reum neceſſarium eſſe, ut ne is propterea ſuo loco rogaretur, ſententiam vetuiſti. (*i*) Commemorabile hoc ſanè exemplum eſt, & ad commendationem tuæ juſtitiæ longè omnium maximum, quod ut in Polonia quoquè repetas, abs te petimus. Quare te rogamus, atque obſecramus per fidem tuam, per hanc invictam dexteram, per tuum juſiurandum, quod ex æquo omnibus abs te datum, quaſi pignus quoddam auxilij Regij nobis eſt; ut nos hoc pacto ſpoliatos, everſos, ac collapſos erigas, reficias, atque reſtituas, nobiſque afflictis manum hanc tuam tot ſæculis ſperatam atque exopatam, ali-

quan-

(*i*) Egregium Auguſti factum.

quando porrigas, noſque ex ijs tantis malis eximas. Quod ſi feceris, dabit tibi Deus tanquam alteri Salomoni ad judicandum cor ſapiens, (*k*) ut magna juſtitiæ opinione ac laude ſis apud omnes: hoc iſto modo præſertim, ſi ad hanc juſtitiam civilem, divinam quoque juſtitiam adhibueris, quæ pietas in Deum eſt. De qua dicam breviter. Neque enim ſperes aliquid te in hoc regno boni poſſe efficere, niſi habueris oculos mentis tuæ illuminatos divino illo lumine, ſine quo, ut verè canitur, nihil eſt in homine. Quod ut menti tuæ luceat; cura, ut illud lumen ſemitarum noſtrarum, quod eſt verbum Dei, purum ac integrum tradatur, audiatur, atque in regno tuo exerceatur. Quod ſanè fieri nequit, niſi hoc iſtud verbum exemeris è tetro quodam atque fœdo rerum abuſu: in lucemque è tenebris ac in conſpectum regni tui produxeris, operâ eorum fidelium hominum, qui poſſint etiam alios docere: qui cùm lucernæ quædam iſtius verbi Dei ſint, cavebis diligenter, ne cui nebuloni rudi, ac plane nepoti, mandes

(k) Salomonis ſapientia.

ſacerdotia, (*l*) quæ tantò ampliora e-runt, quantò major in deligendis ad ea ſacerdotibus cura abs te adhibebitur. Nemini apud te in his adipiſcendis ſuffragetur genus, nemini preces, nulli pecunia, noli pati ut Epiſcopatus ipſe, ſit apud te adulationis præmium, & præbenda aſſentationis merces: noli audire illas nefarias orantium pro aliquo preces: Hic tantum Majeſtati Tuæ ſervivit, tantum ſudavit, tantum expendit, denique tantum dat, tantum promittit. An tu putas qui hac via ad Eccleſiam Dei obrepunt, poſſe illos in Eccleſia aliquid boni efficere? Cœci iſti ſunt, mihi crede, ac crucis Chriſti inimici furoreque ac amentiâ in Eccleſia Dei feruntur præcipites: (*m*) ex his hypocriſis nata eſt, præſtigiæ item verbi Dei ac fallaciæ: ab his opprimitur Evangelium, ac Chriſtus ipſe ex multorum cordibus tollitur. Nec mirum: non enim zelo charitatis fraternæ, non pietatis propagandæ ſtudio impulſi, ſacerdotes ſunt hi facti; ſed ut, aut lacunam rei familiaris expleant, aut fratres inopes juvent, aut ut dominentur,

aut

(*l*) Sacerdotia perditis neganda. (*m*) Incommoda Eccleſiæ unde.

aut omninò ut otioſi ſint, nihilque in omni vita agant. Quare cùm iſti quæſtum putant eſſe pietatem, non tantùm non præferunt lumen errantibus, doctrinam imperitis, ſpem deſperatis iſtis; ſed illam extingvunt, delent, ac radicitùs omnem ex animis evellunt hominum: Fur enim, Chriſto teſte, odit lucem; quòd vereatur, ne lumine verbi Dei illato, furta illius coarguantur, idcirco iſti ut lateant, involvunt ſe in tegumento ovium ipſius ſimulationis, perſonamque ſibi ſumunt veteris ſanctitatis, cùm tamen intrinſecùs, nequiſſimi ſunt omnes, lupique rapaciſſimi: qui hoc ſolùm curant, ne plebs verbo Dei admonita, ipſos in ovium veſte lupos eſſe agnoſcat, illoſque relinquat, quæſtumque huic pecori, quaſi pabulum ac glandem adimat. Quod ne fiat, conjuraveruut iſti mihi crede, verbum Dei, atque in illius veros & legitimos profeſſores; (*n*) qui, ne in Eccleſia ulli ſint, vides quàm illorum jam exarſerit furor. Qui, ne tantum poſſint, quantum velle videantur; ſuſcipies tu cauſam pro tua rata parte ipſius Eccleſiæ: ad exemplumque

Eze-

(*n*) Abuſus.

Ezechiæ Regis confringes hunc istum æneum serpentem, hoc est, quæstuosam quorundam religionem: (*o*) per provincias etiam Episcopos institues, non eblandito, neque ementito, sed legitimo atque pio suffragio, quibus adjunges eadem censurâ Canonicos, non hos togatos, aut palliatos aulicos, sed illos, quos cognoveris omnium judicio esse probatos. Quod si feceris, liberabis Regnum tuum, religionum novarum metu: nullas hæreses metues, ac nullam ipsius religionis convulsionem pertimesces; nihil enim est sanctius vero Sacerdote, nihil etiam ad imitandum vulgo propositum magis; (*p*) quales cùm nacta fuerit plebs, ad illorum præscriptum vivet, pacemque ac tranquillitatem tuebitur. Tales ergo ut sacerdotes regnum tuum habeat; maxima parte in te est situm, quos tu ipse in summa veneratione habebis. Inprimis autem Episcopos ipsos, quos Vicarios Christi, & patres regni tui, ac clavigeros æternæ vitæ existimare debes, tantæque dignitatis atque præstantiæ; ut tua Regia dignitas, cum Episcoporum majestate, nulla ex parte sit

(*o*) Ezechiæ zelus. (*p*) Veri sacerdotes.

sit conferenda: quod si est, uti certè est, summo studio curabis, ne qua in re hunc istum sacerdotalem ordinem offendas, nevè illum conturbes. Et quoniam me tibi fidelem subditum esse semel sum professus, addam etiam illud, teque liberiùs, clementiâ confisus tuâ, hoc in loco admonebo: nempe ut illam abominationem, quam Regum pestis assentatio in Poloniã introduxit, tollas quamprimùm de medio, quæ illa summa est, ac detestanda: cùm Episcopus vestibus sacris indutus, ac illa redimitus infulâ, tum etiam sacrificans, ac Christum Dominum ad aram repræsentans, tibi venerabundus procidit ad pedes cum thuribulo, cruce, ac libro Evangelico, (q) quomodo hanc tam horribilem faciem hujus tantæ venerationis sustinere potes o Rex? Pilatumne te, ac Herodem impium vis existimari, illo horrendo Christi Dei tui obsequio? cur autem tu vice hâc conversâ, non eum honorem potiùs habes Episcopis? præsertim cùm subjectus illis sis, eumque honorem Episcopo debeas; nonnulla tua cum venia, tanquam subjectus præposito, filius patri, homo autem

(q) Episcopi sacrificantes.

autem Deo Christo & Domino tuo, quem totum Episcopus sacrificans exprimit illis vestibus, illis infulis, denique illa totius sacrificiij actione .At non patitur, inquies, Majestas mea, ut me ita submittam. Multò minus illorum fert Auguste Rex, si veritatem ad rationem revoces. At ferunt, inquies, hoc Episcopi. Ferunt Auguste, fateor, & magno quidem cùm suo & Ecclesiæ dedecore ferunt; quia id quod sunt, se esse aut nesciunt, aut non sentiunt: molesti etiam tibi quidam illorum esse nolunt, ne quid fortè, aut de spe, aut de ambitione apud te perdant. Joannes quidam Lubrantius, cujus multa dicta atque facta in Polonia feruntur, quendam Episcopum palam reprehendisse dicitur, (r) cùm is Episcoporum primus in Polonia, hoc isto novo more ad pedes patri tuo prociderit cum thuribulo sacrificans. Hic tum Lubrantius, ut erat concitatior, indignam ait, rem in Poloniam inducis Episcope. Tibi quidem, inquit ille, ita credo videri, quòd Posnaniensis, Episcopus jam sis. At ego ne diutius Præmisl: sim, hac ista nova viâ hodie effici-

(r) Episcoporum assentator.

efficiam. Jta Epiſcopus ille, qua viâ Præmiſſiâ exivit, eadem novum hoc venerationis dedecus in Poloniam introduxit. Cujus exemplum cauſa peccandi tibi non debet eſſe: maiuſque pondus apud te habeat priſca illa veterum Pontificum authoritas, quàm iſta hujus Epiſcopi nova. Jmitare hac in re Carolum Quintum, Cæſarem, divinum hominẽ, (s) qui in Pontificis Romani ſacrificio miniſter ſumma veneratione ſæpè fuit: porro tu in tuo regno idem es, quod Cæſar in ſuo imperio: Epiſcopus verò in Polonia, idem eſt, quod Pontifex Romæ. Quare ſi Pontifex ipſe nunquam Cæſarem illo modo veneratur, nec Epiſcopus quoque te Regem debet venerari; paria enim hæc ſunt, unius & ejuſdem ordinis; ut quantò Cæſar à Pontifice ſuperetur, tantò quoque tu ab Epiſcopo ſuperare: & quod Cæſar Romæ tribuit Pontifici, hoc idem tu in Polonia tribuere debes Antiſtiti: quod pontifex non debet Cæſari, nec tibi Antiſtes debet Regi. Quo ſanè argumento, honeſtè ac piè, hanc idolomaniam repudiabis abs te; quotieſque ſacro interfueris, ſemper autem

(s) Caroli V. exemplum.

autem intereſſe debebis, toties te non Regem, ſed privatum hominem, eumque peccatorem adeſſe illi ſacro exiſtimare debes. Et aut parem cæteris qui aderunt, aut etiã multis, imò verò omnibus inferiorẽ, ut ille divinus honor ab Epiſcopo tibi homini peccatori non debeat tum exhiberi: ſacro verò peracto, cùm ad tuum opus Regiũ redieris, tùm ſane Rex eſto: ſume gladiũ, quẽ tibi Deus dedit ad vindictam malorum, laudem autem bonorum. In eccleſia verò nihil minus eſto quàm Rex, Epiſcoporum quodammodo ibi regnum eſt; tu autem non ſacrorum ſed Reipub. ipſius Rex eſto: (*t*) quam Rempub. cùm ſapienter, juſtè piéque domi adminiſtraveris, eam quoque ut tutam foris præſtes, curabis, desqué operam, ne nos pœniteat infirmitati diffiſos noſtræ adiumenta fortitudinis tuæ quæſiiſſe. Cùm enim undique hoſtibus circumſepti eſſemus, ut ab his tuti ſimus, te cuſtodem atque ducem requiſivimus; (*u*) ut te agente & vigilante ſolo pro omnibus, ſalvi eſſe cum liberis, conjugibus, fortuniſque noſtris poſſemus.

Qua-

(*t*) Regis imperium ubi. (*u*) Reſpub. foris tuta reddenda.

Quare, sis tu sapiens Rex, sis justus, etiam licet; tamen si te imbellem esse cognoverimus, nihil habentem nervorum ac virium; nihil tibi proderint apud nos cætera, quantùmvis ea in te fuerint magna & præclara. Hæc enim ista, de qua loquor, fortitudo propriè virtus, quòd sola planè viros efficiat: quâ qui Reges carent, imbelles, atque effæminati dicuntur, abjectique, & qui ex contumelia nomen traxerunt, Sardanapali vocitantur. Fuisse enim ferunt Sardanapalum Phrygem perditæ nequitiæ Regem: (*x*) quem cùm miles Assyrius quidam inter fœminas nentem deprehendisset, illum interemit; indignũ ratus, Assyrios viros fortes subijci fœminæ. Et meritò quidem: nam qui regnare vult, opus illi est ante omnia animo magno atque excelso, qui hæc humana inferiora ducat esse dignitate sua Regia: qui inhonesta non solùm hæc summa, sed etiam ista minima magnopere fugiat, honesta contrà appetat, ac illa etiam morte, si opus sit emat: dignitati serviat: emolumenta publica curet: ac regnum vitâ propria chariùs habeat. Hoc animo convenit

esse

(*x*) Sardanapalus.

esse Reges: hoc qui carent, Sardanapali sunt, hoc est, miseri atque contempti Reges: qualis Miesco in Polonia olim fuisse memoratur. (y) Qui cum à Patre BoleslaoChrabri clarissimo ac fortissimo viro regnum Poloniæ opulentissimum, copiosissimumque accepisset, illud Rixæ uxoris libidine inertiâque suâ dissipavit. Qui ut contemptus in Polonia vixit, ita etiam infamis ob nequitiam obijt. Prætereò Ludovicos, taceo multos alios, qui præter ipsum nomen Regium, nihil habebant Rege dignum: nec propter aliud, nisi quod & animo deficiebantur, & studio ad regnandum apto; quorum casus & infamia te admoneat, ut ijs spretis, tibi ad imitandum proponas Boleslaos illos veteres, (z) Vladislaos item, atque Casimiros Avos tuos, & imprimis Sigismundum patrem tuum, qui in Polonia optimi Reges ac fortissimi viri fuerunt, ad quorum exemplum adolescentiam tuam exerce. Et ut illam ex otio in negotium regni tui transferas; laudem & gloriam tibi proponas: ad quã, infamia aliorum te exhortetur: vivas

in

(y) Miesco ignavus. (z) Exempla regum bonorum.

in labore: ibique assiduè versare, ubi metus adest aliquis, qui tibi somnum adimat, qui te excitet quotidiè, tibique molestus semper sit; ut is tuo secum convictu, voluptatem venenum adolescentiæ tuæ abs te pellat, teque doceat, quomodo oportet, & cum quibus oportet Regem vivere. Hoc eodem monitore atque magistro, animùs ipse tuus erigetùr, in omnesque partes tanquam arcus intendetur, ut acriùs sentiat, celeriùs occurrat, venientiaque mala paratiùs excipiat. Hic idem te laudis cupidum, ac animosum spe bona imbuat, neque de salute regni in periculis unquam desperare sinat; omnia enim in metu experiri videbis, ut nihil eorum quæ obsint, quævè tibi prosint ignores. Qua ex re nascetur tibi, domi fides, foris verò summa authoritas: putabunt enim tui hostes, rem sibi esse cum viro strenuo, perito, animoso, atque spe optima pleno, (a) non cum ignavo, imperito, degenere atque stolido. Quæ opinio non minus tibi apud omnes proderit, quàm prosunt arma tormentaque bellica, noli enim putare, hostem alia re ulla animo-

sum

(a) Virtus Regis hosti formidabilis.

ſum magis in pugna reddi, quàm opinione ſperatæ victoriæ, quæ tota ducitur ex adverſarij aut indignitate, aut infirmitate. Quis enim vigilans ſe non putat vincere poſſe dormientem? aut quis ſobrius ebriū? providus negligentem? denique paratus imparatum, ſe non putat opprimere? Inſtat enim audens virtus vitio, ibique illa exultat magis, ubi vitium plus videt valere. Quare ut in te omnia, quæ ad fortitudinis opinionem attinent, non ſolùm excellant, ſed etiam alijs excellere videantur; confer jam te nunc, ad eas regni partes, quæ magis hoſtem metuunt. Inprimis autem in Ruſſiam ipſam abi, quæ multis hoſtibus, ijſque aſſiduis eſt expoſita: obi hanc provinciam, Auguſte: recognoſce illius munitiones: infirma illius conſidera: præſidijs etiam firmis muni: fac nobis ſidem, te eum Regem fore, qui Scythas, Valachos, atqué Turcas poteris ab ea Provincia prohibere. Hoc ede ſpecimem jam nunc Auguſte Rex, noſque non Vilnæ, neque Cracoviæ ſed in Ruſſia doce, (*b*) quantum confidere de tua virtute debeamus. Sint illæ urbes rece-

(*b*) Ruſſia.

ceptacula sacerdotum & mercatorum, non virtutis neque militiæ tuæ. Otiùs ergo hinc in Russiam confer te, viri fortes comitabuntur te: galeæ, non infames illæ mascharæ, te sequentur: denique milites ac equites illi Poloni (non hystriones neque mimi) tecum in Russia vivent: quorum fremitum cùm ex Cameneco, aut Bratislavia, aut Kijovia, vicina exaudierit Scythia, Valachia item atque Turcia, dicet perculsa metu: Hui: tam citò! Rex novus hic certè adest: certè vigilat: (*c*) ac tumulum machinatur nobis. Quodsi tu alias res ages, choreisque puellarum Vilnæ, aut mascharis Cracoviæ occupatus fueris; & tuis risui, & hostibus contemptui eris: vastabunt, incendent, prædas agent impunè: tum etiam, ut hominum genus est dicax, ac contumeliosum Scythæ, repetent sæpiùs illud insultando: (*d*) *Dietko Korol, ne serdyt.* Quod ne fiat, intermissis omnibus rebus in Russiám abi quamprimùm: idemque facias, quod in nova villa boni patres familias faciunt; qui mox ut sunt nacti, obeunt

(*c*) Strenuus Rex hostem terret. (*d*) O pueri Rex iste excors & ignavus!

villam, singula in ea inspiciunt, cum villico deliberant, hocque & illud opus exercendum parant. Idem & tu facies, ut sepulto mox patre, comitijs etiam absolutis, regnum obeas, periculosiores illius partes inspicias: centuriones recognoscas: exercitus lustres: (e) præsidia colloces: totumque opus belli diligenter pertractes. Quo! si feceris, dici nõ potest, quã amabilis tuis, quã verò formidabilis hostibus hoc isto modo fueris; Cyrus alter, atque Agesilaus, ac ipse Alexander Macedo, omnibus tam domi quàm foris esse videbêre. Atqui ego prolixiùs, quàm institueram, hæc ad te ideo scribo, quod te in *Lithvaniam* rediturum mox comitijs absolutis, rumor est. Quod ne facias, te per dignitatem tuam Regiam, quæ tibi esse charissima debet, oro obtestorque. Nam si tam citò ac vix salutatus Rex à nobis Vilnam redieris, pessimé (pace tua dicam) existimationi tuæ apud omnes consules: dicemus, euntemque talibus vocibus persequemur: o Cyre noster, tamne citò hinc? cur vitas oculos? cur fugis lucem? aut illud: (f) Hoc est Regem esse? aut, hic

(e) Exercitus lustrandus. (f) Russorum querelæ.

hic si sciret, quid sit Rex, in Lithvaniamne jam rediret. Quod ne accidat, acquiesce nunc precibus meis, & abjecto Vilnæ desiderio, mox te ostende in armis, Russisque te ad videndum & pertractandum præbe. Hostes etiam tuos perterrefacias adventu subito in Russiam tuo; ita ut omnis illa lues Asiatica, sciat te vigilantem Regem nobis datum esse, ac regni hujus fidum custodem. Verùm hæc nos frustra te monemus, ac præscribimus tibi omnia, nisi tu habueris domitas cupiditates tuas, (*g*) quæ cùm invaluerint, omnem sensum humanitatis virtutisque è nobis tollunt. Quemamodum enim quidam morbo aliquo, & sensûs stupore, suavitatem cibi non sentiunt; sic cupiditas libidinosa atque præceps, stupidam adolescentiam reddit, injustam atque mollem; occludit illi oculos, ne perniciem suam videat: aures etiam illi obturat, ne verba salutaria audiat: solius veneris contactum illi inculcat; ad cujus usum, cuncta visa, audita, odorata, ac gusta vertit: quâ ut liberiùs perfruatur, juvenilis ætas, pudorem illi ante omnia

(*g*) Libido Regi fugienda.

mnia ſolvit, cum quo virtus unà perit, omniſque rerum honeſtarum cura, cujus rei illud triſte quidem exemplum, ſed ad cavendum apprimè Regibus utile à Pòéta deſcribitur hiſcè verſibus:

Non cœptæ aſſurgunt turres, non arma juventus
Exercet, portusvè aut propugnacula bello
Tuta parant, pendent opera interrupta minæque
Murorum ingentes, æquataquè machina Cœlo.

Vides ut Dido illa infelix, novam cui condere Iupiter urbem dederat, libidine quaſi peſte correpta quadam, omnia negotia Reipub. intermiſerit. Sic illi extorſerat libido è manibus totum opus regni: torporem verò, atque rerum neglectum ingeſſerat. Fugit enim laborem libido, corporique parcens, ſoli Veneri illud ſervat illibatum. Et cùm totum hominem libido occupârit, ita illum miſerum facit, ut illum alieno corpori, tanquam Prometheum Caucaſo affixum reddat, ut non amplius juris ſit ſui: facitque ut in alieno corpore vivat, ab illo circuma-

cumagatur, hucque, atque illuc miserandum in modum circumferatur. (*h*) Jllam ennim quam amat, ut idem bonus canit Pòéta.

Abſens abſentem auditque videtque.

Jta omnis libidinoſi animus miſer eſt, ut alienum ſemper intueatur corpus, negligat verò ſuum, ſeque ipſum indigniſſimè profundat: nihil magni, nequé quod homine ſit dignum, homo libidini addictus, cogitat: non dignitatis illi cura eſt, non publicæ utilitatis: immerſuſque in hoc cœno, aſper ſibi ipſi eſt, inhumanus, Sævuſque adeuntibus, qui alieno arbitrio vivens, ut ſvaviùs inſaniat, adhibet convivium, potat, nudus ſaltat: & ut omnem faciem deponat honeſtatis, incedit maſcharatus. At qui hæc ſunt incunabula Neroniana Auguſte Rex: ab his ille initiis profectus, ad evertendum imperium Romanum acceſſerat. Cùm enim media in libidine ipſius arderet furor, vinumque quaſi oleum furori ille ſuppeditaret, quod flagitium ille non admiſit? quo ſcelere Romam non confecit? leges non evertit? quam religionem ex urbe non eiecit? At illud

(*h*) Amantes miſeri.

monſtrum conflatum erat ex libidine, quæ temulentiam peperit, hæc verò iracundiam, ita Nero cùm in humana forma quaſi tres quaſdam immanes belluas geſtaret, nempe libidinem, temulentiam atque furorem, quem illius hominis motum, quam agitationẽ, quos ad maleficium impetus fuiſſe cenſes? Propone tibi animo: ſi quis in cutem hamanam inſueret hæc tria efſera animalia ſimul, Aprum, Vrſum, & Leonem, quæ ſpecies quæſo illius cutis eſſet? quæ agitatio? næ tu malles talem cutim, cùm jactationem ipſius ac rugitum horribilem videres, cœlo potius quàm ex aliquo loco vicino aſpicere. Cuiuſmodi cùm Nero eſſet, (i) Romanum quidem devoravit imperium, ſed tamen poſtea ipſe ſe ultus eſt: ipſe enim ſe poſtea interemit, ſeraſque licet, debitas tamen pœnas Reipub: perſolvit. Hunc exitum habuit illius libido, quæ incitata violentiâ; ac furore incenſa, poſt crudelem matris cœdem in tartara præceps abijt. Ergo hujus exemplo tu cautiùs vives, memorque ſis, nullum Regem malum eſſe naturâ, ſed conſvetudine effici. Qui

enim

(i) Nero qualis.

enim Rex se cupiditate primùm obstrinxit prava, deinde potat assiduè, postea autem furit, ut hodie ita & cras, certò certiùs scito, hunc Tyrannum fore nequissimum, Neroniquè simillimum. Proinde in hac tua juvenili ætate, præcepto Divi Pauli, fuge libidinem, ut hàc liberatus, faciliùs temperatè mansuetèque vivas: in eoque plus ætate, virtus tua, Regiaque dignitas apud te possit. Quo autem alio cupiditatem libidinemque ineuntis ætatis tuæ còérceas, quam eo, quod præcepit Apostolica vox: Vnusquisque inquiens,(*k*)propter fornicationē habeat uxorem suam. Vxorem ergo ducas, quæ ferocem adolescentiam tuam, suaque sponte in libidinem proclivem, in officio contineat. Vxor ergo ipsa sit modus atq; finis eius cudipitatis, quam natura tibi ad procreandum largita est, sine qua, uxore inquam, adolescentum vita, soluta, vaga, incerta, impudica, infamisque est. Quare cùm absque uxore te continenter, sobrie, ac mansvetè vivere non posse cernas; summa curâ hanc tibi confestim deliges, cum qua ætatem bene ac pudicè exigas.

(*k*.) Remedium libidinis uxor.

exigas. Et quoniam tu duas perſonas ſuſtines; alteram privati hominis, alteram Regis; meminiſſe debes in ducenda uxore, te hæc duo ſpectare oportere. Primùm eſt ut tibi ducas uxorem, cum qua tu cubes: (*l*) Secundùm eſt, ut habeas Reginam, cum qua nobis regnes, quod ſi ex matrimonio tuo alterum horum defuerit; imperfectum illud erit, minimeque probabile; noli enim putare, eandem eſſe rationem nubendi Regum ipſorum, quæ eſt privatorum hominum: homo enim privatus ipſe ſibi ducit uxorem, in eoque tam bonum quàm malum illius ſolius eſt qui duxit: nullius præterea alterius; ſat tamen bene duxit, ſi honeſtam morigeramque duxit. At Regum alia ratio eſt: neque enim eſt curandum tantùm Regi, ut uxorem bene moratam morigeramque ducat, ſed ut ea quoque commodo, emolumentoque ſit regno, quæ regnum copijs ditet, nova ſocietate juvet: pacem populis conciliet: ac dignitatem, authoritatem, & majeſtatem regno adferat, quæ non tantum uxor, ſed conſors, non thori ſolùm, ſed etiam regni

tui

(*l*) Uxor Regis qualis.

tui sit. Quam etiam ob rem, ut socia regni uxor Regis videatur, esse atque particeps, Reginæ vetusto more adinstar Regum ipsorum unguntur, coronantur, ac Reginæ Dei gratiâ appellantur, (m) atque ita salutantur, dotesque ipsarum certis in possessionibus ipsius regni assignantur. Talem tu uxorem Ferdinandi Romanorum Regis filium Auguste duxeras, quæ incredibiles felicitates huic regno videbatur attulisse, famam primò egregiam, morum atque pudicitiæ: deinde totius ferè Europæ societatem, ac fœdus cum Carolo Cæsare, & Ferdinando Rege, pacem item cum Germaniæ principibus: summam postremò benevolentiam multorum hominum. Quæ quoniam fato nobis adverso nuper extincta est, huic tu similem quæras quamprimùm, quæ eadem bona tibi regnoque tuo afferat, quæ illa attulerat. In eoque sanè esto diligens. Si enim tu in despondenda tibi uxore rationem tui tantùm habueris, non autem etiam nostri, quanta Rempub: mala sequentur, vide. Primò illa nobis erit invisa ingrataque, deinde te ipsum odi-

olum

(m) Commoda coniugij Regij.

osum exosumque nobis reddet. Dolebimus enim te rationes tuas privatas potiores duxisse commodis nostris publicis. Tum si quod bellum finitimum, aut si quæ vis externa nobis fuerit molesta; tuum matrimonium accusabimus: de te ipso queremur, ac dicemus, potuit hoc bellum non accidisse nobis, potuit pax inter nos & finitimos nostros constare, si Cæsaris filiam, aut Ferdinandi, aut illius, aut istius præpotentis Regis, Rex noster uxorem duxisset, nunc verò, cum is desertam ab amicis duxerit, soli sumus relicti. Jn medio undique angustiæ sunt nobis, ab Aquilone Moschovia nos premit: (*n*) ab Oriente Scythia atque Valachia: à Meridie Turca ex Ungaria, ab Occidente verò Germania etiam nobis est infesta, nusquam auxilij restat spes, undique nos metus ambit & formido, actum est, perijmus unius adolescentis culpâ. Tum etiam in aurem fidelem alter alteri illud insusurrabimus: Quid? hoc ne nos feremus? ut unius hominis causâ tantum regnum pereat? tot gentes atque nationes perditum eant? tamque vetus

atque

(*n*) Hostes Poloniæ.

atque potens Respub. pereat unius adolescentis libidine? Tales voces erunt in ore nobis, & aliæ multæ consimiles, quas nunc animus meminisse horret, difficile enim est non dicere, cùm doleas. Quod, ne accidat diligenter providebis, senatusque tui judicio, uxorem tibi deliges, & tuo cubili, & hoc illustri regno dignam, in eoque imitabere avum tuum Casimirum, patrem tuum item Sigismundum, qui ductis uxoribus, regnum hoc stabilierunt. Duxerat enim Avus tuus uxorem, (o) filiam Alberti Archiducis Austriæ, qui idem Rex Romanorum fuit, Pater autem tuus matrem tuam clarissimam & nobilissimam fœminam, ex veteri Regum Neapolitanorum familia, in matrimonio habuerat. Hos sequere potius, quàm Vladislai proavi tui factum devium, qui magna invidiâ ac summa obtrectatione uxorem è suo regno Granowskam viduam duxerat; probam quidem illam & honestam, sed uxorem tamen privato alicui homini aptiorem quàm Regi, quæ tamen ipsa duobus annis non plus cum Rege vivens cum publica totius regni gratulatione,

non

(o) Exempla.

non uncta, neque coronata, neque Regina appellata, defuncta fuit. Tantum odium patrum nostrorum in illas nuptias fuit. In cuius defunctæ locum, Vladislaus proaviam tuam duxerat Zophiam Russiæ ducem. Sume tibi ad imitandum ex proavo tuo, quod honestum Regiumque in illo fuit: quod verò inhonestum ac turpe in eo videris; id fuge ipse, atque repudies, & ne repetas vetera, proxima ista exempla patris & avi tui propone tibi, hos tu sequere: hos imitare, ad illorumque exemplum duc uxorem Majestate tua dignam; quæ hisce perturbatissimis temporibus juvet regnum tuum novis societatibus atque amicitijs, pace item ac fœderibus illud muniat, & in illo quietem, otium, ac tranquilitatem constituat, ut tu summa hominum benevolentia, honestissimè ac sine ulla obtrectatione, in Polonia cum illa regnes; utque cum uxore socia tuæ adolescentiæ, ac consorte thori tui, diu vivas, fausto felicique omine; ut nos ex tuo sacrosancto thoro habeamus duces, principes, atque Reges, indubitatosque regni tui hæredes. Talem uxorem cùm

nactus

nactus fueris, tota Polonia venienti se illi obviam effundet, adventum gratulabitur: occurremus illi cum canticis & choris, læto pæane, novam sponsam contuam, Reginam autem nostram consalutantes quàm introducemus in thalamum matris tuæ clarissimæ atque castissimæ fœminæ, veluti sanctam quandam atque pudicam Rebeccam in tabernaculum Saræ: ut tu cum illa lætêre Dijs hominibusque approbantibus; utque ex ea videas filios certos filiorum tuorum, & pacem super Jsràél. Hoc & facere, & nos optare par est. His tu præceptis Auguste Rex atque admonitis, temeritatem adolescentiæ vinces, & cùm illi hæc ista fræna temperantiæ continentiæque injeceris; faciliorem animum ad res magnas gerendas habebis, qui ibi minimè valet, ubi libido totum occupat. Quæ si nusquam apud te valuerit, facilè nos docebis, ab excellenti eximiaque tua virtute, progressum ætatis expectari non oportere. Age ergo in regno viri fortis opera, quodque ætas negavit, id supplebit virtus tibi. Multorumque exemplis tibi ad id persvade, qui admodùm adole-

scentes,

ſcentes, tantas res geſſerunt, ut ſuum imperium auxerint, nomen ornârint. Et ne infinita persequar: Unus Alexander Macedo tibi ſatis exempli ad res magnas ſit, (*p*) qui ab ineunte ætate res maximas gerens, trigeſimo tertio anno, mortẽ obijt, devictis jã Græcis, domitis Perſis, ac tota Aſia ſubacta, ex quo judicari poteſt virtutem Regum in rebus gerendis plus poſſe, quam ætatem. Verùm ad id, in quo fuit Alexander, ijſdem tu eas itineribus, fuit enim ille ſumma temperantiâ libidinum adoleſcens, ſummaque laborum tolerantiâ, atque ſub dio exercitationem ſibi comparaverat: nunquam ſiccus cœnavit, nunquam niſi ſudans accubuit, nunquam niſi ſitiens à cœna ſurrexit, rarò ſub tecto, ſæpè autem ſub dio cubavit: lectulo libero, eoque militari utebatur, ita ut ante Babiloniam captam, mulier quid eſſet, neſciret, ita ille, cùm & nocturno & diurno tempore militans viveret, formidabilis hoſtibus, charus autem ſuis fuit. Nam cùm in re militari hæc duo ſumma ſint, obedientia & perſeverantia; non alio duci fidere milites illi magis; neque durare,

(*p*) Alexandri continentia.

rare, quam Alexandro poterat, nec iniuria; videbant enim ſimul ſudantem, algentem, ac laborantem Regem, commune gaudium illis fuit cum Rege, aliquo bono parto, communis viciſſim dolor illo amiſſo. Tum verò ſi quid adverſi accidebat, videbant primum adeſſe, ultimum verò abeſſe in periculo Alexandrum, vigilare, plus metuere in metu proſpicere, res difficiles conſilio gerere, integritate tueri, virtute verò conficere; ut meritò milites & obedire, & in eo ipſo ſpem habere maximam vellent. Jam verò quis hoc duce in bellis illis, quæ is geſſit, acerrimus non perſeveraſſet? ſi enim bellum æſtate gerebatur, plus in ſole arſit, ſi in hyeme, plus nive alſit quàm poſtremi militum, in laboribus item militaribus, in vigilijs, in ſiti, ut in exercitu, ſic in his quoque princeps Alexander fuit. Quod tum vel imprimis apparuit, cùm per deſerta Syriæ, aridaque loca, agmen duceret ſiti perditum. Et cùm illi proficiſcenti ultro quidam hauſtum aquæ frigidæ offerret; ille præ ſe militibus ſiti jam enectis illud obtulit, reclamante exercitu:

vivas

Vivas verò, inquiunt, modo ipſe Alexander, non deerit tibi hic exercitus, quòd ſi tu nobis peribis; exercitus hic unà interibit. Tanta erat perſeverantia militum illorum, ut fœdam mortem non recuſarent, modò ab Alexandro vivo non diſcederent. At hæc tanta militum perſeverantia,non aliò, ut vides fuit parta, quàm labore ducis, ut mirum jam non ſit, Aſiam ipſam huic tam excellenti virtuti ſuccubuiſſe. Contrarijs enim rebus, Alexander aluit virtutem domi & victoriam quæſivit foris. Vicit enim Perſas opulentos, inopia: (q) Græcos luxurioſos, continentia: Indos deſides,vigilantia: Caucaſum denique ipſum, devicit, labore, atque inedia. Sic ille obedientia, perſeverantiâque militum, cùm imperium utroque Oceano terminaſſet; non ſolùm victor orbis terrarum fuit, ſed etiam exemplum victorioſis Regibus eſt factus; quem ego tibi ideo deſcriptum propono, ut illius exemplo ætas te ab his quæ magna concupiveris, non deterreat, ex hoc enim Rege, diſces regna atque bella à Regibus, animi viribus magis quàm corporis adminiſtrari.

(q) Victoriæ Alexandri ratio.

ri. Tu modò ad exemplum Alexandri, ſubduc corpus tuum libidini, illudque ut jam dixi in Ruſſiam transfer, ubi algeas, eſurias, ac ſitias, ac ubi non videas formas venuſtas, non audias cantilenas, non odores ungventa, non guſtes delicata, non tangas impudica, ſed ea quæ viri fortis & robuſti Regis ſunt, aſſiduè illic videas, tractes, ac in his ſis. Jbi tu milites hilares ac tui amantes facies: corpora illorum exercebis, animos parabis onus belli ferre, ac tibi obedire, tecumque durare velle conſvefacies. Hoſtes etiam tui, cùm audierint te hac iſta continentiæ laude florere, abſtinebunt à tuo, atque item noſtro, tuumque nomen plus quàm arma metuent, ut ita glorioſus Rex in Polonia regnes, famâque uſqué ad ſydera notus fias, tu modò ſenſum hujus gloriæ jam nunc fideliter deguſtes, ad eamque hac viâ ſapientiæ, juſtitiæ, fortitudinis, atque continentiæ contendas, quam tibi hoc in ſcripto fideliter propoſui. Noli quærere purpurâ aut byſſo laudem apud homines, (*r*) non inutilem potentiam, non invidioſas opes, non cupiditatem dominandi præ-

G cipitem

(*r*) Quibus rationibus Rex laudem quærat.

cipitem & lubricam, anteferas veræ, gravi, ſolidæque gloriæ; quæ illa ſit ſumma apud te ac poſtrema, ut Poloni natum te ſibi atque datum eſſe Regem gaudeant, utque te charum habeant ſalutaremque Reipub. eſſe arbitrentur. Cum hac gloria tu nihil comparandum putes: hanc omnibus opibus tuis præfer, vitâque ipſa tueare: quam etiam ut conſequaris, omnem vim ingenij, quæ ſumma eſt in te, in hac iſta meditatione conſumes.

Scriptum etiam hoc meum benigniſſimè ſuſcipies, illudque leges, nec verò requiras ipſius ſcriptoris nomen, ſat tibi ſit fidelem ſubditum tibi tuum eſſe, qui hæc ad te miſerit. Quod ſi tu talibus ſcriptis lætabêre, ſuppeditabit fortaſſe fides erga te noſtra, ſi non majora, uberiora certè quidem, quàm hæc ſunt: quæ ad te deinceps mittemus, tu interea bené vale, felixque nobis regna.

PARTIS SECUNDÆ FINIS.

IDEA
APOCALIPTICA
SEU
APOCALIPSIS
STANISLAI ORECHOVII,

In qua
Facies perturbatæ & afflictæ Reipublicæ, eiusque restaurandæ ratio.
REPRÆSENTATUR.

VARSAVIÆ.

Typis S.R.M. & Reipublicæ in Collegio Regio Scholarum Piarum.

Anno Domini 1763.

IDEA APOCALIPTICA

SEU

APOCALIPSIS

STANISLAI ORECHOVII.

CAPUT I.

CUm in Ægeo Mari navigarem in Patmum Inſulam vento delatus, in continentem excendi, & quod acci-
ere ſolet ijs, qui in ignota regione-
erſantur, primùm è longinquo proe
ectare & admirari omnia, deind-
um tuta omnia circum viderem, ulte
iùs procedere cæpi. Jamque per ne-
nuſculum, ædificia quædam lignea,

 cincta

cincta septis ex caricibus, miræ altitudinis & operis, dubia luce apparebant; quæ ego cupidus explorandi, adire statui. Campus, quo munitio consepta erat latissimus, & alluentibus undis lætissimus. Hic dum portam patentem aspicerem, in eius ingressu, custodes altissimo somno oppressos semiermes, alios nudos, alios corporibus vinô sepultos adverti, quos ex varietate vestitûs, meos fuisse populares iudicavi. In tanto excubitorum torpore, nemine prohibente, patefactam aulam sum ingressus, cui infestos armis exercitus, ab omnibus partibus imminere videbam, quorum conspectu cor territum, ominabatur malum aliquod exitiale impendere. A septemtrionali plaga, stabat exercitus per sylvarum latibula & colles, legionibus aliquot distinctus, sed in planitiem sese non effundens, in summo vexillo ferens inscriptionem *Moshus*. Ab oriente, pharetrata quædam, longis ordinibus incondita multitudo excurrebat, cum inscriptione vexilli *Tartari* & *Scythæ*. A quorum vicinia, ingens multitudo framcatorum, avida prædæ & sangvinis, impetu

impetu ferebatur, cum lunata ſignorum intitulatione *Turcæ Machometani.* Jnter meridiem & orientem, ſtabat exercitus bello idoneus, cuius Princeps diſcretionis ambiguæ, nunc vultum Chriſtiani, nunc immanis barbari præſeferebat, namque ſtipatore Turcico erat terribilis, cum inſcriptione *Valachi.* Ab occidente, pluribus locis diſcretæ copiæ ſtabant, an hoſtiles neſcio, valentes tamen apparatu bellico, & neſcio quid inter ſe tacito conſultante, in quorum vexillo inſcriptio præeminebat *Germani.* Jminebant præterea & alij exercitus, ſed nullam omnino inſcriptionem habebant.

CAPUT II.

MUnitio itaque cuius porticum attigeram, nullis omnino propugnaculis, neque in porta, neque circa pargamina proviſa erat, portæ inſcriptio fuit *Securitas.* Cuius cuſtodes, ut dixi tàm graviter erant ſopiti, ut neque ipſis incurſionibus hoſtium expergefieri poſſent. Jn medio aulæ, certis intervallis, diſpoſita ædificia, ſeu potiùs

castra fuerunt;inter quæ potiore loco, tentorium ex tela fabricatum, cum titulo *Domus Reipublicæ*. Hæc, contigua habuit duo ædificia ab utraque parte,alterum à dextra,inscriptum *Domus Deserta*, alterum in sinistra *Domus Violata*. Jn foribus domûs desertæ sedebat mulier, reverenti quidem admodum vultu, oculis ardentibus, & ultra communem hominum valentiam, perspicacibus; sed lachrymis & squallore sordidata. Altera manu tenebat calicem cum hostia, altera claves. Vestes erant tenuissimis filis, nec humano ut apparebat artificio consutæ, sed violentis quorundam manibus contextæ, in sinu repositum librum habebat, in pectore dictio legebatur *Religio*. Ab auribus inscriptio veniebat *Verbum Dei*. Ab ore *Prædicatio*. Ab oculis *Spes*. A pectore cordis sede, *Fides*. A manibus *Opera Charitatis*. Jn extremo margine ad pedes, *Exemplum Vitæ*. Jn limine verò domûs violatæ, sedebat specie & pulchritudine insignis mulier, sed languida & assvetudine malorum quasi sensu ipso calamitatis exuta. Sinistra bilancem, dextra ensem tetra rubigine

bigine obductum gerebat, subiuncta inscriptione *Iustitia*, radio libræ inscriptio fuit *Æqualitas*. Gladio verò *Pœna Malorum, Defensio Bonorum.* Jn eo tractu, in quo domus religionis erat posita, stabat aliud ædificium amplum columnatim ita extructum, ut quidquid intùs ageretur, à circumstante turba videri posset, cui inscriptum fuit *Domus Consilij*. A parte Domus justitiæ, stabat auro intextum tentorium, supra fidem elegans, in cucurbita inauratum, venti indicem argenteum cum aquila deferens, cui supervolitans columba nitida, cælesti fulgore illustrans omnia, inscriptiò fuit *Domus Regis*. Jn postica parte. *Domus Reipublicæ*. Dùm cætera perlustrassem etiam tale tentorium conspexi, in quod unum, multorum opes collatæ videbantur, splendidum & magnificum, foris & intus auro & gemmis intertextum, inter insignia familiarum, habuit inscriptionem *Domus Rei Privatæ*. Videbatur æmula Reipublicæ. Nam eius exemplo binas contiguas ædes habuit, quibus se à lateribus communiverat, sed harum utrinque duplices & diversæ inscriptiones erant.

Nam

Nam altera à fronte, *Domus Meritorum*, à tergo *Domus Cupiditatis*. Altera à fronte *Domus Dignitatis*, à tergo verò, *Domus Tyrannidis*. Erat ſanè, qui ſola ædificia aulæ & domorum conſiderabat, ſi quod à tergo eſſet, non animadvertiſſet vehementer ut deciperetur! In domo Rei privatæ, haberi Senatus videbatur, multis tàm Eccleſiaſticis, quàm politicis perſonis refertus, nihil aliud agentibus, quàm ut eas opes quas hominum fæx inferebat, inter ſe cupide diſtraherent & partirentur, qui vidit, facilè intellexit, quæ ſtudia Senatus illius, in illa domo & inter eas negotiationes eſſent. Quibus ut tutiùs vacare poſſent, ædes ipſæ, tormentorum præſidijs milite & foſſionibus circumvallatæ erant.

CAPUT III.

STabat gregatim multitudo hominum, tempus confabulationibus terens, deliberabunda, quid rerum (poſtquam res ſuas, quiſque agere deſciſſet) aut conſilij capeſſàt? cùm ſubitò è domo *Rei Privatæ* effuſa intercurrit, eques fæmina, in omnes homines impu-

nè

nè violenta, cum omni telorum & ar-
morum genere, ſub qua excuſſis ha-
benis, equus pertinax, ore & naribus
ignem ſpirans, incòércibili curſu, in
multitudinem ferebatur, & multos in
terram moribundos, pedibus proculca-
bat. Mulieris nomen fuit *Licentia*,
penes hanc ibant, *Seditio*, *Contemptus*
Magiſtratuum, quæ, dùm Reipublicæ te-
ctum, ipſamque Religionem & iuſti-
tiam præterveheretur, audacter equo
in utramque invecta eſt, eaſque male-
dictis inceſſit, quod quidem facinus,
illa primum auſa, ferebatur hinc, in-
numerabilis equitum cohors; velut ſub-
movendæ turbæ causâ, amplamque vi-
am ſuo numero faciebat, ita, ut eadem
viâ protinùs irrumperent tres aliæ mu-
lieres, multo auro micantes, quarum
germanitatem vultuum & veſtium,
ſimilitudo oſtendebat. *Ambitio*, *Ava-*
ritia & *Luxus*. Has ſequti quatuor
viri, *Perjurium*. *Adulterium* cum varijs
libidinibus vultus muliercularum in-
dutis, tùm *Homicidium* & *Innocentiæ*
Oppreſſio. Horum duorum veſtigia, cruo-
re ſuffundebantur. Quos *Rhamnuſia*
(hoc enim illi erat nomen) ſequuta,

eoſque à tergo inſpectabat, quaſi pænas ab eis prima quoque occaſione exactura; his igirur & prioribus omnibus, manum minaciter intentans, ſe ab eorum conſortio ſubduxit; & præterita licentia cum agmine ſuo, præteritaque domo Senatoria, liberè incedebat.

CAPUT IV.

JNterea, è rudi illo tentorio, eductus eſt currus vetuſtus, & abſque temone, vel vetuſtate conſumpto, vel violentia effracto, quem *Bos & Mula* gravida trahebant, dorſis viros quoſdam diverſæ conditionis (ut iudicabam) ferentes: Exigua ſpes erat profectionis, quiſque enim in ſuam partem animal urgebat. *Bos* ita inſcriptus erat *Optat Ephippia Bos, Optat Arare Caballus*. *Mula* verò: *Ubi peperero, Res Veſtræ meliùs habebunt.* Jn medio curru fuêre trina ſubſellia diſtincta, in quorum excelſiore, ſedebat Virgo quædam liberali forma, ſed veſte obſoleta, & crines inconditè iacentes, pallida item facies, lachrymis innatantes oculi, indicium erat valetudinariam eſſe, inſcriptio-

nem

nem habuit *Reſpublica*, item *Religio* non minùs ſordidata cum *Juſtitia* ſorore ſua etiam ægra conſcendit currum, & ſuo quæquæ ſubſellio reſedit. Rempublicam intermediam amplexæ, quarum collis, Reſpublica pallantia brachia circumdedit. Tandem puellæ duæ, ponè venientes, currum manibus ſuſtinebant cum titulis *Spes*, *Patientia*, utraque lamentabilis, aſpectu miſerãdo omnes adſtãtes in ſui cõmiſerationem adducebat. Sic igitur Reſpublica profecta diverſis vectorum & animalium ſtudijs; tardiùs ad Senatoriam domum, quò contendebat, pervenit. Ante ejus fores dùm conſtitiſſet, ſeque ob diuturnam abſentiam ſuam ignotam illis fore crederet, vereri ſe dicebat, nè ſi nihil adferret, ingreſſu prohiberetur, & tandem ſorores, (num quod auri pondus, ſe penes haberent, quòd in munus honorarium Senatui offerret) percunctatur? quæ nihil quidem ſe habere referunt. Non jubent tamen eam, abijcere animum cùm ſit eorum genitrix, illi verò filij, oſtendens (inquiunt) illis maternum ſinum, ex quo vitam hauſerunt, oſtendens ubera

bera quibus enutriti ſunt, oſtendens manus & vlnas, quibus geſtati & ad eos honorum gradus provecti ſunt. Quo facto neſcimus, an tam crudeles eſſe velint, quin te obvijs amplexibus recipiant, honoremque debitum matri reverentèr exihibeant, niſi ita immei mores, & ſui, & ipſius ſint, ut ſeipſos odio proſequantur. Qui enim Matrem odit, ſeipſum odiſſe videtur, ægrèque ferre, quod in lucem ab ea editus ſit.

CAPUT V.

HOc colloquium perfrictæ frontis mulier, nomine *Ingratitudo*, eam ut pauperem & ſqualidam averſata contracto ſupercilio intercepit. Indè illicò egreſſa eſt Virgo, aſpectu vultuque toto, ſolis inſtar fulgente, in pectore ſcriptum habens *Veritas*. Hæc conſpectum in currum Reipublicæ ferens, alacritèr eam complexa, quidnam ſibi velit, quod tàm mæſta, ægra, & ſine ullo debito comitatu, præterquam ſororum, ad Senatoriam domum venerit, rogat. Jlla, ad filios inquit venio, quos ideò peperi, ideò nutrivi, ut

in

in mea quoque necessitate mihi succurrerent, ut dùm hoc adhuc vitæ reliquum est, me sibi, seque mihi incolumes servent. At ubi illi sunt, quòd nemo exit obvius? nemo Matrem salutat? Nè mirere *Veritas* ait, nemò enim intùs est, præter antiqua vestigia quorundam in pulvere relicta. Quos autem post columnas sedentes vides, hi quidem de te benè sunt meriti, sed latentes de tua liberalitate petunt, te egente, etiam egeni. Jdeò neque tui cura illis est credita. Sunt inter illos & alij, sed præmaturi adhuc, qui tibi auxilio nondùm esse possunt. Bona me tamen spes habet, brevi te illis magnoperè curæ futuram? illi verò quos sperabas, hic jam adesse, nondùm venerunt, diverterunt enim *ad Domum Rei Privatæ*, ubi totos dies consumere solent illi, soli addicti, ut autem de te consulant, nè in mentem quidem eis venit. Nam quod Comitia sua celebrant, faciunt id specioso sub prætextu, ut iurares, de te agi omnia, tamen eò vergunt, ut eorum *Res Privata*, hostis verò tua; salva & diuturna sit: sed & conventus ejusmodi, jam intermisissent,

nisi

nisi à thalami tui Præfecta *Libertate Equestri* observarentur. Quàm enim illi (dùm insimul conveniunt) tuæ causæ faveant, ostendunt eorum vota & sententiæ, ex ordine dici solitæ. Quæ si parùm faciunt ad fidem, vide eorum profectionem, jam futura est. Huc enim tu sola derelicta, quasi peregrina & ignota venisti. *Res Privata* verò, quæ tuo beneficio, tuo succo vivit & crevit, eorum comitatu, aurea rheda etiam nunc ubi de te sola videbitur agi, adducetur.

CAPUT VI.

OFfusa lachrymis vultum Respublica Veritati accessum parabat? cum ecce buccinarum sonus, pulsusque tympanorum intonuit, atque extemplò armati tres viri apparuerunt, recta ad Rempublicam venientes, prioris nomen fuit inscriptum *Amicitia simulata*, qui equo glauci coloris vectus, collo vulpem ducebat. Secundi *Odium Intestinum*, hic equo veniebat Cinericio, lupum stropho, venatu ducens. Tertij *Inimicitiæ Apertæ*, qui ursum catenâ

ferrea

ferrea ducens, fulvo equo vehebatur. Hi cùm Rempublicam in ſuo curru ante fores Senatoriæ domus inveniſſent, convitijs eam inceſsêre, quòd tenuis fortunæ mulier in tàm publico loco, qua Regi & Senatoribus eſſet iter habendum, conſtiterit. Advolantibus igitur illis magno impetu, & in iugales irruentibus, actis in diverſum iumentis, curru diſſoluto aut diſrupto, miſera Reſpublica ſat per ſe antea langvida, unà cum ſororibus ægris, miſerabiliter & ſumma cum indignitate evertitur. Quæ dum everſis ſellis collaberentur, mulier quædam nomine *Direptio* tres illos viros ſecuta, reliquum quod habebat Reſpublica diripi, ab eaque tolli debere, ipſamque imo perpetuò fieri captivam vociferabatur. *Deſperatio* verò ſocia *Direptionis* arreptum cultrum, ejus jugulo defigere cùm properaret, *Spe* in eam irruente, ab incepto deſtitit, cultrumque vagina recondit. Concuſſæ, & ipſi religioni calix, & ſacra (quæ ferebat) nefariè in terram prociderunt, *Iuſtitiæ* bilanx & gladius confracti. Pudefactæ, ea injuriâ Virgines, collectis ſuis ar-

mis, cum miserabili comploratione attollunt Rempublicam, & præeuntibus viæ causa ancillis, in Lectica, semimortuam ad suas ædes deferunt, & paupere strato, deponunt. Misera *Religio*, denuò in vestibulo ædis suæ resedit, subiecta capiti manu, quasi nihil aliud nisi obitum, & finem suum exspectaret; dein *Iustitia*, ne quicquam sublato ense, medium perfracto, sedens in limine domûs suæ, visa *Religionis* facie, lugubriter flevit.

CAPUT VII.

DUm hæc cum Republica ejusque contubernalibus aguntur, prodit iterum illa *Rhamnusia* Vindex, cum patera plena venenatis fæcibus, & circumstantem multitudinem ex ea potat, quæ dùm bibisset, confestim ex ea turba egressa est mulier, nomine *Curiositas*, & exquisito gressu, *Domum Reipublicæ* subintravit: & collustratis perturbatisque omnibus, tandem liberè, gladio *Iustitiæ* erepto, ne superesset quod metueret, ad Religionem mæstam in vestibulo sedentem, ingressa,

cla-

claves ex manu illius extorsit,& in penetralia templi devenit, libros omnes evolvit, conscerpsit, pedibus procontrivit. Hanc sequuta alia mulier,nomine *Dubitatio* post se ducens *Errorem*. Tandem improba quædam mulier *Prophanitas* adveniens, tàm illa quæ in vestibulo, quàm quæ in ipso templo piè admonitionis causâ erant posita, evertit & violavit. Nec mora, Vir quidam furiosus dictus *Sacrilegium* in opes Ecclesiasticas, & quidquid auri atque argenti sacra ædes habebat, involavit, & sibi vendicavit. Confestim scelesta *Impietas* in ipsas aras, & in ipsum Ciborium irruit, & sacra in terram abiecta, impiè conculcavit. Hæc cùm nequicquam reclamante *Religione* patrarentur, supervenit mulier portentosa, nomine *Blasphemia*, in Deum omnia maledicta proferens. Signum quo Salvator vicerat, signum detestabile clamitans, & multa alia quæ horret animus,in præpotentem essentiam Dei, ac inpervestigabilem ejus Majestatem, impudenter deblaterabat. Hæc ubi facta, & jam nihil integrum, nihil intactum, nihil non violatum esset; In-

greſſus eſt homo miræ altitudinis quaſi de numero Gigantum, nomine *Atheiſmus*, ſororumque omnia illa facta collaudavit. Quæ ita collaudatæ, mirificè geſtiebant, ſibique placebant. Ecce verò illis templô egredientibus, ſpoliaque varia, aurea & argentea, calices, patellas, candelabra, corrigiollos efferentibus, continuo ex improviſo Draco triceps, allapſus eſt, unum illius caput caninum cæcum, inſcriptum *Cæcitas*. Alterũ Rhinoceronti ſimile cũ inſcriptione *Bellũ*; Tertium Vulturinum cum inſcriptione *Peſtis*. Sub ventre *Fames* erat inſcripta. Circa omnium capitum colla, legebatur *Servitus*. In pedibus *Everſio* ſeu *Excidium*, & *Deſolatio*. In dorſo *Finis*, ſeu *Interitus*. In cauda *Infamia Sempiterna*.

CAPUT VIII.

ASpectu Draconis, cùm tantus ſtupor & trepidatio eſſet, ut multi acſi ſimulacra ſtarent, undique cõfluente multitudine novus exercitus, à *Domo Rei Privatæ* apparere incepit. Primi erant viri canitie graves, rubras to-

gas induti, & superpellicea candida, equis albis euntes, supra quos, coturnix pari lentoque volatu, rostro linteolum carbaseum tenuissimum ferebat, cui inscriptum erat *Episcopi*. Hos continuò secuti quindecim aut plures maturi senes, splendidi vultu, gravitateque oris spectati, in quorum Vexillo eminenti, inscriptum fuit *Palatini*. Quos nullo, interposito spatio, magnus numerus virorum certis ordinibus subsequutus est, nomen eorum virorum *Castellani*. Ecce autem quatuor iugales inscripti. *Popularitas*, *Turba*, *Confusio*, *Calamitas*, fulgidum auro & ebore carpentum trahebant, in quo sedebat mulier amicta, luxuriosè adeò, ut auri & purpuræ fulgore, oculos hominum hebetaret, nomen habuit *Res Privata*. Ad huius genua sedebant duæ fæminæ, duplicem habentes inscriptionem, nam frontibus *Merita* & *Dignitas*, à tergo verò illius *Cupiditas*, huius *Tyrannis*, inscripta fuerunt eo ferè modo, quo & illarum ædes. Carpentum *Rei Privatæ* ingens multitudo, utriusque status hominum sequebatur, & multa puerorum agmina, qui digitis

avos, proavos, & majores ſuos oſtentabant, nè ab illis deſererentur, ſedulo cavebat. Hic, cùm omnes Senatores à multitudine admonerentur, ut errantia illa portenta *Licentiam* & tandem *Curioſitatem* ſubſequutam conſiderarent, & ſiquidem certum excidium portendant, vel potiùs ipſum ſint exitium, è medio tollerent, & è Patria noſtra abigerent; ſurda aure præteribant, & veluti vanos Plebis tumultus averſabantur. At cùm prætervolvi turba inciperet, ſaxum, (quod fortè iacebat) ſublato clamore hæc verba protulit. Nos *duri ſentimus lapides, quod vos non ſentitis homines, aliorum exempla non vos movent? veſtra movebunt.* Hæc ubi verba audita ſunt, tanta conſternatio animos omnium invaſit, ut aliquot Senatorum rei novitate territi, ex equis ſemianimes delaberentur, invecta tandem *Res Privata* in domum Conſilij cum ſuis amanuenſibus, locum potiorem occupavit, clauſaque eſt ianua, ita ut præter Regem ipſum, nemini pateret ampliùs ingreſſus.

CAPUT IX.

COnfestim eiaculatis tormentis, & ad tubas plurium vocum tympanis pulsis, ex tentorio Regis evolvebatur ingens agmen Equitum, torquibus aureis adornatum, sed amictu peregrino, in quorum medio cinctus plurimis stipatoribus gestantibus altas secures, Vir quadragenarius augustæ Majestatis, pleno & amabili vultu, nigra veste, capite auream coronam, sinistrâ, malum aureum, dextrâ verò sceptrum ferens, equo proficiscebatur, nomen habuit *Rex*, quem duo senes spectati gravitate, cum baccillis anteibant *Consilium & voluntas*. Ut primum autem, Magister Cameræ Reipublicæ cujus nomen erat *sensus ruinæ*, Regem non procul abesse vidit, mista lachrymis lætitia, ad pedes se illius abiecit, nec orando solùm precatus opem, sed pro debito inclamavit, ut miseram *Rempublicam* heram suam à domesticis suis non solùm derelictam, verùm etiam direptam & oppressam invisat, & priùs quàm ad hostes fama ejus rei perveniat, de ea sananda agere instituat, ipsamque operam sumat. Nam si in ea conditione

ne deferatur, vix Deorũ opibus (quum extremo malo afficiatur) resisti posse; extrinsecùs ab hostilibus armis multum terroris & periculi adesse, intrinsecùs autem, ita omnia fervere, tantamque in omnibus statibus, tàm in Ecclesia, quàm in Politia esse seditionem, ut nisi Deus modum adhibeat, quo imminens propulsari possit exitium, omnibus humanis consilijs frustra laborari. Sentire enim se, & jam penè versari sibi ob oculos non tantùm à præsenti ratione, quod adeò Respublica ægra decumbat? sed magis quod neminem videat, quem tàm præsentia, quam imminentia mala ab eo lethargo excitare possint, ut velut spontè in perditionem, & extrema omnia, manibus pedibusque tendere videantur, quasi occasum Patriæ cum exsultatione exspectantes. Ut igitur pro officio suo, pro pietate Patriæ debita, pro eo, ac res omnes in ruinam inclinatæ postulant, eam curam in se Rex accipiat, & se comparet, ut tàm præsentibus malis, quàm proximæ calamitati, quæ ditionibus sibi à Deo concreditis & subiectis imminet, quoadusque tandem

aliqua

aliqua Deûm ope tenentur, non desit avertendo; magno cum fletu postulavit, & per Deum immortalem Regem obtestatus est. *Sensus ruinæ* oratio, grata erat Regi, libenterque & attentè eam audisse visus erat, & tandem ipsum *Sensum ruinæ* benignè propria manu erectum, inter alios Curiæ suæ Præfectos adscivit. Jtaque ut primum domum Senatoriam accessit Rex, ab omnibus cum ingenti gratulatione & lætitia exceptus, atque anteeunte *Sensu ruinæ*, cum *Consilio* & *volnntate* introductus, suo tribunali consedit. Tribunalis verò inscriptio, supra caput Regium fuit talis. *Rex qui iudicat in veritate pauperes, Thronus eius in æternum firmabitur.*

CAPUT X.

FActo igitur consessu, *Consilium* gubernator Regius, indicto omnibus silentiô, memor eorum quæ paulo ante, à *Sensu ruinæ*, dicta & petita sunt, his verbis sapientissimum Regem affatur. Iubens eum primùm esse memorem, in quanta tranquillitate, qua re-

rum gestarum laude traditam à sacratissimæ memoriæ Parente suo, Regni curam accepit? deinde quam spem Regis optimi, sua optima, & vero Rege digna indoles fecerit, quem non forte aliqua, sed tamen divinitùs omnes subiectæ Provinciæ, sibi oblatum gratularentur, tantis ingenij dotibus, tanta sapientiâ præditum, ut omnibus ante se Regibus hanc palmam eripuerit, & sicut alij gubernandi, sic ille benè administrandi Regni perfectam rationem habiturus videretur. Rerum quid fiat? nescire se ait, quod sub ejus sanctissimo Dominatu, non omnia pro voto habeamus, sed plurima tàm in Ecclesia, quàm Republica: contra fas & omne decorum fieri, indeque nos jam etiam manifestis pænis affici videamur, semperque meliorem rerum conditionem expectantes, in deteriora gravioraque labi quotidie videamur. Cujus sibi non videri aliam causam, nisi nostra communia scelera; Iustè enim Deus nostras spes in diuturnam exspectationem differt, ut nostram conversionem, vitæque emendationem videat. Justus est, nihilque erat moraturus,

ſi nos in corrigendo nullam moram feciſſemus. Quod ſi diutiùs à nobis exſpectat, quod illi debemus, quare moleſtum ſit? nos ab eo diutius exſpectare, quod nobis non debet. Non itaque videri ſibi mirum, quod non omnia ex animi ſententia habeamus, ſed mirum potiùs, adhuc tàm proſperè nobiſcum agi, in tanta licentia, & omnium à Republica ſtudijs averſis, in tanta impunitate, ut quoquò te vertas, nihil niſi cædes, direptiones, opreſſiones, ſacrilegia, homicidia, ſtupra, libidines, periuria videas, ut incredibile ſit, mundum vel ſaltem hoc Regnum diutiùs ſtare poſſe, in tot & tantis flagitijs. Quare ſi & rerum neceſſitati ſubvenire, & hominum exſpectationi ſatisfacere cupiat, hoc ſe petere & conſulcere. Primùm, ut & ſe Regem eſſe meminerit, deinde qualis Regni Regem, in quo ſit quàm ſimillimus nauclero, qui ad navis gubernaculum poſitus clavum teneat, eum ita gerendo, ne ubi aut in Syrtes, aut in ſaxa latentia impingat, ut intelligat, ſibi non ſui causâ Regnum eſſe datum, ſed ſe Regni, imo ſe Regni cuſtodem eſſe, non

Re-

Regnum sui. Inde leges Regni non tantùm ut cognitas habeat, verùm etiam omnes in exequutionem ducat, quarum unicus sit ordo *Ius* & *Iustitia*, quæ nihil aliud sunt, quàm unicuique quod suum est reddere, in quo principem locum habent ea, quæ Deo tribuenda sunt. Secundum, divina ea ponantur, quæ subditorum salutem, libertatem & tranquillitatem tuentur. Hoc est autem, ut siquidem nec domi, nec ab hostibus sumus tuti, ob idque & salus nostra tenui pendet filo, & libertas jam dudum periclitatur. Et quemadmodum unum est *Ius*, ita sub æquali pæna & legum conditione vivant tam potentes, quàm inferiores, ac præsertim quos ab æqualitate, summa etiam ministeria non exemerunt. Videri alias sibi libertatem vanum aliquod nomen rei non existentis esse, solereque eam raptari passim, esseque verissimum, quod Anacharsis Scytha solitus est decere. *Leges similes esse aranenarum telis.* Nam quemadmodum illæ, sic hæ, ex captis debiles, & imbecilles detinent, à locupletibus verò & potentibus rumpuntur. Si itaque

illum

illum cardinem tenere volet, iſta quoque ſingula tenenda omninò eſſe.

1. Adhibendam eſſè legum auſteritatem, pænaſque contra graſſantem licentiam extendendas oportere.

2. Oppreſſos & calamitoſos homines protegi, illiſque ſine quavis procraſtinatione *Jus* & *Æquum* fieri.

3. Nihil per gratiam cuiquam indulgendum, nihil per vim cuiquam inferendum, ſed in omnibus boni æquiquè rationem habendam, in quo ſolo fortitudo imperiorum conſiſtit.

4. Jta Regnum, Rempublicam procurari debere, ne dum partem aliquam Rex tuetur, reliquas deſerat.

5. Æquali ſemper in omnibus animo eſſe.

6. Subditos, præſertim Officiales, in officio retinere.

7. Senatores, verè Senatorio in Rempublicam animo conſtituere.

8. Bonis ſemper, & ut plurimum doctis viris ſtipari.

9. Adulatorum ſermones, ut corvos rapaces averſari, ut enim hi effodiunt oculos, ſic illi animi hebetant cogitatus, & ſunt veræ peſtes boni publici,

blici, in eorumque locum, qui ſalutaribus conſilijs animum inſtruant, & quorum virtus per gradus varios, tùm domi, tùm militiæ probata ſit, quique pro Republica dùm opus eſſet, corpora ſua opponant, còáptare.

10. Conſpirationes & omnia ſuſpecta ac ſeditioſa conventicula, præter inſtitutum Regis facta, punire & prohibere.

11. Seditioſos turbatores tranquillitatis publicæ, rerumque novatores, ad Reipublicæ gubernacula non admittere; tales enim causa perditionis ſunt.

12. Rebelles Iurisdictioni, utriusque gladij, còércere, ac in diſciplinam & ordinem redigere.

13. Regni ærarium in ſolam defenſionem Regnique munimen convertere; luxum ex omnibus ſtatibus exſtirpare, levia ſerica & purpuras interdicere, eosque ſumptus, qui quotannis Provinciam depauperant, in arma, panoplias, & belli apparatus converti præcipere.

14. Cupiditates ſuas & ſeipſum vincere, ut enim hæc illuſtrior eſt victoria, ita magis Principem commen-
dat,

dat, quàm si de plurimis hostibus triumphet.

15. Postremò, in se omnia velle conspici, quæ Christiano Principi inesse debent, ut quod alios omnes facere cupiat, ipse prior in se exemplum ostendat, Qui enim rectè ducit, ut alij rectè sequantur, facit. Hanc prope viam unicam Regni animam fore, & faciliùs de advertendis hostibus, qui in direptionem hujus Provinciæ arma & animos intenderunt, agi posse. Præterea quod in libero Regno primum & præcipuum est, curari oportere, ut (quemadmodum in rebus humanis nihil est stabile) si Principem decedere contingat, sine longa disceptatione sciri possit, penes quem sit summa rerum. Ne dum plebe currente in diversa studia ambigatur, quò inclinanda voluntas sit, ex hostibus aliquis erumpat, & turbet omnia subito adventu. Quod si tùm omnes simul in res indeliberatas & improvisas incidant (quod omen Deus avertat) quid aliud præstari possit, quam noster interitus & eversio, quod ne eveniat, magnoperè enitendum esse. Hanc *Consi-*

lij

lij Orationem Rex benignè audivit, cui & *Voluntas* Regius Vicegubernator, cùm annuisset, apparuit homo eques; vasto corpore absque capite, cum hac inscriptione *Absconditum Dei Iudicium*, quo viso Rex, non parum extimuit.

CAPUT XI.

TAndem *Voluntas* Vicegubernator Regius ad Senatores pro Rege, talem orationem habuit; iubens eos primùm apud se perpedere, quamob rem eos honores adepti sint, unde & ipsi & eorum posteri, tùm dignitate, tùm opibus inter homines excellant, his fortunæ bonis, non solum non insolescendum, sed ne fidendum quidem esse, ut (quæ fortunæ arbitriô stentque cadantque) scirent, non minus periculosum esse, in prospera fortuna altum sapere, quam in lubrica via cursu certare. Hanc enim esse fortunæ Naturam, ut vicissitudine delectetur, & perpetuo deijciendis summis ad infima, & infimis ad summa evehendis laboret. Propterea illis esse cavendum, ne si ejus bonitate abutantur,

tur, & ſe in animos atque faſtum, obliti ſortis, ex qua emerſerunt, erigant, graviore caſu illius voluntate corruant. Deinde cùm omnia fluxa & caduca ſint, ſuam omnem gloriam in præclarè geſtis & meritis erga Rempublicam ſitam exiſtiment, horum æternam memoriam permanere, hæc firma imperia, has veras opes, in quas, nec caſus, nec fortuna, nec tempora quicquam juris habeant. Quapropter ut ſui officij & loci, quiſque memor eſſe velit, & quàm optimè Patriæ conſulat, & Regi ſalutaria conſilia ſuppeditet; velintque ſibi ante oculos proponere, quæ ſit rerum facies, qui ſtatus, in eorum patria, quàm omnia quoquo te verteris, quaſi flere videntur, omnia horrere & ſquallere, cauſaſque ipſi apud ſe requirant, quid fiat, quod ipſa penè Machina Regni, Patriæ eorum, perniciem & ruinam loquatur, quam nullo de fonte alio ea mala prodierunt, niſi ex averſione eorum à Republica ad propriorum emolumentorum rationem, ex deſertione propriæ vocationis. Atque hæc duo eò rem adduxiſſe, ut licentiæ feneſtam

ſtram aperuerint, quæ nullis juſtitiæ pænis coërcita, omnium domos, tàm horrendis ſeditionibus & diſſidijs repleverit, ut in Regno non Chriſtianis legibus imbuto, vivere videamur. Jn his ejuſmodi malis, & alijs gravioribus futuræ calamitatis indicijs (ſi in ſe deſcendant) ipſoſmet dubitaturos, an ſuis honoribus digni ſint, ſi ea officia; quorum gratiâ tantos gradus adepti, negligant; ſi nihil præter *Rem Privatam* ſibi curæ aſſumant, publica verò à quibus privata dependent, quaſi nihil ad eos pertineant, ſi pro cuſtodibus proditores, pro defenſoribus oppreſſores, pro Patribus, hoſtes ſe Patriæ exhibeant. Si rapinis, contentionibus, odijs privatis, miſeram Patriam dilacerent, ſi Religionem Chriſtianam antiquam & Orthodoxam novis commentis aut violent, aut planè deſerant. Si nullis damnis publicis commoveantur. Si præter gentium omnia jura, & Regni leges proprias bona Reipublicæ privata cupiditate ad ſe transferant, templa non ſine grandi ſacrilegio evertant, tùm diſpolient, alij verò ad ea

facino

facinora obmutescant, imo connive-
ant: Si placari divinam iram, averti-
que calamitates publicas posse (in tan-
to furore demolientium templa, ever-
tentium altaria, blasphemantium Di-
vinum Numen in tanta ambitione; &
nefandis absque numero flagitijs) ne-
gligant, in quibus omnibus nisi illi
ipsi manus circumferant immunes, &
criminibus ejusmodi obsistant, nequa-
quam fidos Reipublicæ Senatores dici
posse. Si verò culpam in aliquem a-
lium vertant, quod in tam trepidis
rebus & tanto discrimine Reipublicæ,
sedeant domi desides, mulierum ritu
inter se altercantes, Regemque tan-
tum inspiciant quo spectet, quo ani-
mum & curam intendat, ita procul-
dubio, culpam in se rursum esse rece-
pturos. Principi siquidem tantis vir-
tutibus exornato, non tantùm ad lau-
dabiliter gerendum Regis officium,
nihil deesse, verùm etiam eum ani-
mum, eam voluntatem adesse, ut pri-
mo quoque tempore Rempublicam ab
ea conditione vindicet, quæ nunc est,
ut omne bonum divinet animus. Cùm
autem non ignoret *Charitatē* mutuam,

vitam esse Reipublicæ, quæri solet, quid fiat? quod in sua Republica adeo discordem Senatum habeat, nihilque dubius respondit. Ordinum discordiam, venenum esse Reipublicæ, quàm ut reprimere ac extinguere possit, nulli labori, nulli difficultati suæ pepercisse, sed clementiam & verè Regiam placabilitatem (quæ alias in hoc tam libero Regno Principibus semper laudi ducebatur) absque profectu fuisse, usque adeò omnem licentiam in cursu esse, ut meritò severioribus legum remedijs uti oporteat, alioquin esse verendum (quum trepido & misero statu versemur) ne domestica mala nos obruant. Orare itaque illos, & pro debito petere, ut ad concordiam inclinent animos, & simultates omnes deponant. Ut meminerint. *Discordiâ civili extolli hostiles Animos, frangi autem & terreri Concordiâ*, ut videant ne antiquam & Orthodoxam in JESUM Christum fidem, aut novis cultibus profanent, aut pro suo quisque palato & libidine fingant, sed eam in qua nati renatique sint, sanctè & religiosissimè amplectantur, atque ad extre-

tremum capulum tueantur, alienam messem sua falce vitent, demùm intra metas officij sui, tàm seculares quàm Ecclesiastici se contineant, in Deum impios ut vitent, seque ab eorum commercijs segregent; nihil per ambitionem, nihil temerè agant, sed leges Patrias in omnibus sequantur. Ad summum, ut omnia sua studia in solam boni publici utilitatem (cujus causâ tàm insigni Magistratu funguntur) conferant, si cum dignitate & fide patriæ debita, de eo loco quem adepti sunt cæteris Reipublicæ filijs conspicui esse velint. Ad hunc ille modum cùm pororasset, multorum ex Senatu assensu carebat, visum enim erat auribus eorum, acerbam hanc orationem fuisse.

CAPUT XII.

EXtemplò fæmina quædam nomine *Rhetorica* in medium ingressa est ex improviso, ad satietatem, ne dicam ad nauseam, audientes oratione sua morata est, veriùs quàm movit, ut de redigendis in meliorem statum rebus agerent; Quæ ubi peroravit, veluti

morbo aliquo correpti, ex ordine quisque suas sententias dicere cæperunt, tàm longas & tàm diversas & dissentientes, ut in multos dies articulos extraherent, & nemo esset inter eos inventus, qui dixisset, quod alter approbaret. Quot capita, tot sententiæ, tot consilia, tot voluntates erant. Nam & illi qui corrupto aliàs judicio manifestè loquuti erant, meliori voto cedere recusabant, ne inscitiam suam arguerent, victricem potiùs temeritatem salutaribus aliorum sententijs opponentes, & illi qui rectè loqui videbantur, moderationem nullam sermoni suo adhibebant, itaque dùm curritur in contraria, non fuisset alius rerum eventus, quàm tumultus & confusio, nisi veneranda forma mulier (cum inscriptione *Æquitas*) interventu suo ineptam illam Rhetoricam, magis arma quàm pacem & salutem Regni spectantem, sententiâ sua compressisset, suique potiorem rationem esse habendam (præsertim in tantis rebus) docuisset, cùm ea tempora venerint, quibus res tenui filio penderent, & quibus post tantam luxuriam longæ felici-

felicitatis, & indulgentiam fortunæ diuturnæ ad extrema propè ventum esset. Quæ mala, si vos viri estis (aiebat illa) non verbis sed factis (nam quis dicendo, beatior unquam esse potuit) non altercatione, sed charitate, & mansvetudine, non fastuosa præsumptione sed modestiâ; non temeritate (quæ præterquam quod stulta, etiam infelix est) sed facilitate Vos amoliri oportet. Ut igitur non odiosæ modò, sed etiam damnosæ loquacitati finem imponerent, & earum factô non dictô curatores essent, memores potiùs malorum in quibus versantur, castigatione verborum adhibita omnes adhortata est.

CAPUT XIII.

STabat adhuc *Æquitas* concionabunda, cùm ingressus ex turba hominum Vir, dictus *Timor Dei.* Primùm ad Regem, deinde ad Senatum, faciem terribilem ita obvertit, ut & universi trepidarent, & *Res privata* quæ hominem fortasse priùs non noverat; penè emoreretur, & simul advertit Senato-

nato-

natoribus plerisque indignanter suum adventum ferri. existimantibus à Rege introductum esse, sic igitur pro Rege & pro se respondit indigna, (inquiens) Optimates in Regem hæc vestra indignatio est, quod huc introirem. Nam ut illius arbitrio huc non veni, ita neque abibo. Nam sine me omnes hi vestri conatus vani sunt, & irriti, eruntque, si me à vobis excluseritis, quod penè omnes cupere videmini. *Res privata* enim, quæ meo adventu territa exanimari cæpit, vos sui amore adeò mancipavit & obcæcavit, ne id quod rectum & honestum est, cerneretis, imò ut fraudes illius pro veris bonis semper amplexi essetis. Verùm si quid vobis sanæ mentis est, facile intelligetis, neminem unquam ab illa ita fideliter adjutum esse, ut ea sola patrocinante tutus esse potuerit. Vertite itaque Senatores oculos & studia vestra aliò, videbitis *Rem privatam* vestram, perniciem esse Reipublicæ., vestram aspicite benefactricem Rempublicam, cujus operâ isti vobis honores obtigerunt. Alijs quidem in Ecclesia, ad populum vera Dei religione

in-

inſtituendum, alijs in Politia ſeculari exequendæ Juſtitiæ, & publicæ tranquillitatis procurandæ cauſa. Cur non illam potiùs ijs honoribus, quibus inſidiatricem veſtram afficitis, quæ vos tot maximis beneficijs locupletatos ex hominum fæce erexit, & in hac luce atque ſpecula collocavit; ſed video proſtrata iacet, clamat vim, nec adeſt qui manum porrigat; qui ab occaſu eam vindicet, omnes *Rei privatæ*, & vobis ipſis colendis & alendis tantum dediti. Omnes vos Deum (in deſideria cordis veſtri nefariè ruentes) dereliquiſtis. Quid? non juſtè ille vos viciſſim derelinquet? & in exemplum univerſo Orbi, fœdæ vaſtationi relinquet. Et niſi jam erga me veſtros animos mutaveritis? Ecce hæc dicit Dominus, domus veſtræ deſertæ deſolabuntur, ſicut in vaſtitate hoſtili, iniqui ſunt cætus veſtri, quod odivit anima mea. Propterea cùm extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam. Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Quomodò, facta eſt meretrix terra fidelis? plena

Iudicij

Judicij, Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ, Principes infideles, socij furum, diligentes munera; sequentes retributionem, qui populo non judicant, ad quos causa viduæ non ingreditur. Propterea dicit Dominus, quia ad iracundiam provocastis me, gladius devorabit vos. Orationem *Timoris Dei* luctus & comploratio omnium (quotquot aderant, à Rege inceptum) exceperat. Tandem in medio & gravi Senatorum luctu, consurgit *Sensus ruinæ*, & tàm Regem quàm cæteros omnes, abstersis lachrymis ad sumendos meliores animos adhortatur, ita benignum clementem & multæ miserationis, diturnæque exspectationis esse Deum, ut facilè (inquit) mutet sententiam, si vos proposito meliore, nequitiam vitæ commutetis. Quod dùm fiet, admovendas esse manus labenti Reipublicæ, & sananda illius, tàm externa quàm interna vulnera. Rationem curandi perfacilem esse, modò toto & sincero animo ad Rempublicam accedatis. Quibus exauditis Rex cum Senatu assurgit, & alacriter ad domum Reipublicæ procedit.

CA-

C A P U T XIV.

DUcentibus Regem Senatoribus, tres eleganti forma virgines, obviam venerunt vestibus intexta nomina ferentes; Prima *Prudentia* cum grandi speculo. Secunda *Temperantia* cum Cyatho vini intacto. Hæ Regem & Senatum, quanto potuerunt verborum honore salutatum, in eã prope sententiam alloquutæ sunt. Sollicitis vobis, de meliore statu rerum, operæ pretium facturæ videbamur, si præsto in partem aliquam solicitudinis vobis adessemus. Sciebamus enim, nihil agi prosperi in eo consilio, à quo essemus absentes. Quamobrem cùm de Republica in suam formam restituenda negotium sit, post ejus nefandam direptionem, tot calamitates vos obruunt, adeò ut extremum exitium, non intellectu jam solo, sed oculis & manibus ipsis percipiatur, quam eadem via recuperetis, quà in eam sortem devenerunt res. Jnprimis igitur enitendum vobis, ut omnem cupiditatem à *Re privata* ad Rempublicam (quod quidem omnium primum & difficillimum est)

con-

convertatis, eam fidem Reipublicæ ſervetis, eos honores ſtatuatis, quos *Rei Privatæ* tanto tempore habuiſtis, ut jam deinceps tam in Comitijs, quàm cæteris actionibus, atque adeò ubique, Reſpublica priore loco habeatur. *Res Privata verò* ut ab ea tota pendeat, atque illius magnificentiâ vivat, agnoſcatque Rempublicam non ſecùs atque famula Dominam, illius causâ, quidquid agit, agat, temporis quod reliqvum eſt, id demùm ad proprias ſibi conceſſum operas, exiſtimet. Deinde ea, quam vobis adijcimus *Reſipiſcentia* (ſtabat tùm ab illarum tergo Virgo, pænitenti ſimilis) recipienda eſt. Quidquid enim à vobis hactenus licenter & nequiter admiſſum eſt, illa diluet, Numenque iratum placabilius reddet: Quod ſi fuerit factum, non difficulter poterit venire in manus, quod in tanto deſiderio eſt, ſuo loco futura ſunt omnia; Reſpublica planè convaleſcet, quæ in hoc Chriſtiano Regno *Religione* & *Iuſtitiâ* nititur. Verùm quia non benè ſeritur utile frumentum, undè non fuerint eiecti ſentes & ſegnis carduus, ut etiam vobis ſuccedere meli-

ora

ora possint, ut in eo vestro cursu omnia impedimenta recedant, agendum vobis erit, malam & effrenem licentiam omnibus rationibus ut evellatis, & commisso (veluti collatis signis) certamine, victrices virtutes in sua loca ut restituatis. Converterunt in se omnium ora virgines, non eratque dubium, omnes desiderio videndæ sanæ Reipublicæ teneri; nihilque iam in majore exspectatione fuisse videbatur, quàm modum reperiri, quo eadem (de quibus toties dictum est) mala de medio tollerentur. Sed in deliberatione ejus rei aliquantisper adhuc versabantur, donec vir quidam Medicus (ejus nomen *Charitas*) cum administro suo *Constante* Regis jussu, quoddam antidotum, aureæ pixidi inclusum Reipublicæ adferret; qui de industria, ante ostium illius domus substitit, ut qui circumstabant, inscriptionem pixidi impositam, legere faciliùs possent. Quæ talis fuit.

O Felix hominum genus.
Si vestros animos amor.
Quò cælum regitur, regat.

Hoc erat & intùs, quod exterius pharmacum,

macum, cum quo ad Rempublicam ingressus erat.

CAPUT XV.

DUm suspensis animis multitudo staret, cupida audiendi, quid de Reipublicæ valetudine, medici referrent; processit è cubili Reipublicæ adulta Virgo, adeo nobili & eximia forma, ut (quocunque incedebat) converteret in se omnium oculos, quæ toto illo tempore, quo licentia in eas partes pervaserat, illius se nomine venditans, nusquam apparebat. Nomen illius Græco & Latino idiomate inscriptum erat *Eleuteria* & *Libertas*, ob id fortassè quod apud eas gentes, atquè adeò in omni rectè constituta Republica, semper in maximo pretio fuerit. Hæc Regem confidenter accedens, accuratiore eum & liberaliore, quàm aliæ sermone, allocuta est. Respublica (inquiens) Domina mea voluit me tibi Regi optimo, nonnihil de sua valetudine referre; valere se, illa meliuscule ait, jamque ad se redijsse, ubi hoc antidotum, quod illi miseras,

de-

delibavit. Agitque tibi gratias quòd tàm efficaci remedio, ejus debilitatem attigeris. Quod si illi ex animo faves, & diuturnam illius valetudinem esse vis, petit eam Campanam, quæ ante limen ædium *Iustitiæ* pendet, te jubere pulsari, hoc enim solùm ad perfectam sanitatem suam desiderare videtur. Reflexit Rex oculos, viditque non vanam ejus postulationem esse, ubi Campæ inscriptionem considera-ret, *Leges*; & pistillum in terra iacens, quòd à multis annis abreptum in pulvere, densa rubigine consumebatur, hanc inscritionem in se retinens *Exequutio*, illigato itaque pistillo, campanæ pulsum fieri mandat, ut votis Reipublicæ satisfaceret. Quem pulsum magna pars Senatorum confusa, atque incerta animi indignanter ferebat. Sed ubi à libertate observari suos vultus animadverterunt, consternationem animi, quadam lætitiâ dissimulârunt.

CAPUT XVI.

COnfestim turma quædam adventare cæpit, duce *Sana mente*, Viro ut judi-

judicare poteram prudenti, & priusquàm locum pugnæ tenuisset, instructa acie veniebat, missoque feciali, hostes latè vagabundos, à prædis ad pugnam (ut ea illustrior esset) legit, ac evocat, præferre illi primùm animos, dein magis irâ quàm consilio arma cepêre. Quàmvis enim numero superiores essent hostes, tamen cùm eum Imperatorem adversus vidissent, quem nihil temerè acturum confidebant, jam animo conciderant, præsertim quod apud se nullum Ducem agnoscebant. Sed ut nemò cuiquam obtemperare didicerat, more barbarico, omnes Duces esse volebant Hostium hi fuernnt. *Licentia* eques, tandem tres Equites *Ambitio*, *Avaritia* & *Luxus*, dein *Periurium*, *Adulterium* & *Libidines*, *Homicidium* & *Innocentiæ Oppressio*, pedites. Postea tres Equites *Amicitia Simulata*, *Odium intestinum* & *inimicitiæ apertæ*. Postremò *Curiositas*, *dubitatio*, *Error*, *Hæresis*, *Profanitas*. *Impietas*, *Blasphemia*, & *Atheismus*. Ex nostris partibus fuerunt, *Disciplina*, *Iusta Possessio*, *Frugalitas*, *usus bonus divini nominis*, *Continentia*, *Concordia*, *Defensa Innocen-*

tiæ.

tiæ. Item *Vocatio, Certitudo, Scientia, Doctrina Orthodoxa, Sanctimonia, Pietas; Benedicentia* & *Theosebia*; adventus præsertim *Charitatis*, ita fregit hostium animos, ut pallore confessi timorem, pro victis semet haberent, præsertim cum exultantis *Charitatis* vocem audirent hanc: *Ubi Charitatis ignis incendit, sectio nulla esse potest, nihil adversi accidere potest, sicut ignis sectionem non admittit; vincite me præsente & juvante.* Interea tubæ cecinerunt, & in omnes felicis belli exitus intercursitant Duces, hâc illac: *Levitatem* equitem, eques *Constantia* omnium primum hastâ adortam, equo deturbbvit & interemit. Conclamatum simul est, & acies in aciem immissa. Opposita *Licentiæ Disciplina, Ambitioni Modestia, Avaritiæ Iusta possessio, Luxui Frugalitas, Perjurio, Usus bonus Divini Nominis*; *Adulterio* & *Libidinibus Continentia, Homicidio Concordia, Oppressioni Innocentiæ; Defensa ejusdem*, in *Amicitiam simulatam, Odium intestinum* & in *Inimicitias apertas*, *sola se conie*cit *Charitas*, *Curiositati Vocatio, dubitationi Certitudo, Errori Scientia, Hæresi*

Doctrina Orthodoxa, *Profanitati Sanctimonia*, *Sacrilegio Reverentia*, *Impietati Pietas*, *Blasphemiæ Benedicentia* se se opposuit. *Atheismum* verò Gigantem qui lævum cornu tenebat, *Theosebia* Virgo, ausa viro concurrere, animosè fudit & interemit. Non dubia victoria sequuta est inter hostes, fugæ locus non erat, omnia ferè cædes obtinuit. Spolia lecta, ad domum *Justitiæ* delata sunt, ut inde quæ quisque sua agnosceret, repetere posset. *Licentia* itaque cũ excussa multitudine sola superesset, & fugâ se defendisset, è Christiano illo Regno, ad Barbaros profuga, irrevocabili se exilio mulctavit. Nam in communi lætitia & gratulatione omnium, nubecula collecta, ab Oriente cælum subitò intonuit: & sola malorum superstes hydra, quæ cæcitatem, bellum, pestem, famem, discordias civiles, servitutem, eversionem seu excidium, desolationem, finem & interitum, atque infamiam sempiternam inscriptionibus suis prætendebant, iacto fulmine deflagravit. Ne autem in locum hydræ, extremi mali, desideraretur aliquod bonum, quod

res

res vera antithesi imperfectè in veræ prosperitatis statum adductas ostenderet, devolavit de cælo adolescens, nitore Angelico, nexus talaria pennis; forma augustiore humana, cum inscriptione *Polydorus*, nihilque fatus, subridens modicè, seipsum spectandum & amandum præbuit, quid sibi vellet, inscriptiones abundè loquebantur. Oculi ferebant *Illuminationem*, Pedes *Stabilitatem*, in Sinu *Conservatio* erat, in Ore *Pax*, in Collo *Aurea Libertatis Conditio*. In præcordijs *Salubritas*. In Ventre *Ubertas*. In lumbis *Integritas*, In corde *Diuturnitas*. Quem Iuvenem ubi vidisset *Rhamnusia* Vindex, remque omnem, jam ita esse confectam, ut nihil, quod amplius puniat, superesse possit, ad Superos avolavit, terrasque reliquit.

CAPUT XVII.

POstquam ea, hoc, quo dixi, Ordine peracta sunt, in conspectu Regis & Senatorum, ingressa est fæmina, ultra modum audax sed ingenua, nomine *Repetitio Bonorum Reipublicæ*. Vacuum

hæc, latumque ſaccum manu ferebat, cum quo ita ſingulos obibat, præſertim quos non ſine fructu adiri poſſe putabat, ut vacua non recederet. *Libertas* illi ſemper in ore, *Neceſſitas, Reipublicæ defenſio*, cætera non memini quæ fuerunt. Huius aſpectum multi quidem refugiebant, ob moleſtam hanc & inſolitam exactionem, tandem poſt multas dictiones, victi blanditijs illius (ut ſexûs hic amabilis eſt, & perſvaſionibus potens oratio, in eam formam incurrerunt) collatum eſt ad neceſſitatem. Nondùm elato ſaccis recondito auro, advenit fæmina, benigniore quàm *Repetitio* vultu, nomine *Moderatio*, quam duæ comitabantur ancillæ, non jam illæ binomiæ, aliud fronte præſeferentes, aliud tergo occultantes, ſed ſingulis tantùm, ſingulæ conſignatæ nominibus *Merita* & *Dignitas*. His demonſtrantibus & ducentibus *Moderatio*, unumquemque pro cujuſque merito & conditione ditabat. Tanta rurſum orta eſt lætitia omnium, ut obliti planè *Repetitionis* illius viderentur. Quæ ubi peregit munus ſuum, *Repetitio* accerſivit duas puellas,
nomine

nomine *Potentiam* & *Defensionem*, aurumque opulenter congestum, earum fidei ad servandū & dispensandū commisit. Quod illæ protinus acceptum ac catenis inclusum, magna diligentiâ recondiderunt; Exhibitoque Regi & Senatoribus honore, suo ordine ut ingressæ erant, foras exiverunt.

CAPUT XVIII.

HÆc ubi sunt facta, Respublica ita convaluit, ut nulla ampliùs medicinâ indigere videretur. Ipsa quoque *Religio* claves in manus accepit, antea sibi nefariè abreptas. Similiter & *Iustitia*, bilancem integram, & expeditum ensem assumpsit, suoque loco quæque consedit. Tranquillitatis itaque & commodi gratiâ, trigeminæ illæ sorores, Pilentum *Rei Privatæ*, cui quadrigæ, *Popularitas*, *Confusio*, *Turbæ*, *Calamitas*, erant junctæ, adduxerunt; & illis expulsis, alios illi copulârunt, videlicet *Principatum*, *Ordinem*, *Tranquillitatem* & *Felicitatem*. Currumque ipsum triumphalibus coronis adornaverunt, & Rempublicam cum *Religione* & *Iustitia*, cum exultan-

tibus tripudijs in currum impositam, circa omnia aulæ ædificia vehendam, præceperunt. *Religioni* dantur sex Victrices ancillæ, *Vocatio*, *Certitudo*, *Sanctimonia*, *Pietas*, *Benedicentia* & *Theosebia*: Iustitiæ verò quatuor, *Disciplina*, *Modestia*, *Iusta Possessio* & *Frugalitas*. Cæteræ verò communes ut essent, institutum est. Rempublicam igitur cum sororibus, lætissimo spectaculo ducere incipiunt. Anteibant Regem tres in auratis panoplijs Viri, quorum nomina *Sapiens*, *Iustus*, *Clemens*. Senatum verò itidem tres, *Fidus*, *Concors*, & *Prudens*. In profectione præter hominum præcedentium & sequentium catervas, animadvertens Respublica spectatum numerum adolescentum, tamen pallentem squalore cum inscriptione *Studiosi*, De altera verò currûs parte, viros plurimos & iuvenes bello idoneos cum inscriptione *Milites*. Horum primùm *Studiosos* hac voce alloquitur. Quid vos tam laceros, pallentes, atque attenuatos aspicio honesti juvenes. Non hæc facies, non ista conditio vos decuit; assumite animos; venite mea spes & vita, qui ut in toga mihi ve-

stram

ſtram operam detis, tot nunc ſtudio-
rum causâ labores exhauritis. Vivite,
veſtra ſum,in veſtro ſinu ubi maturue-
ritis, læta & libens quieſcam. De-
inde milites ad hunc modum compel-
lat. Quo autem vos chariſſimi nomi-
ne apellem? aut quibus vos beneficijs
afficiam, non invenio: vos, cùm ſola
eſſem, & ab omnibus derelicta, ſoli
mihi ſuperfuiſtis, qui pro me veſtrum
ſanguinem fundere non dubitaſtis, ho-
neſtiùs ducentes, in defenſa vos oppe-
tere, quàm vivere domi deſides, me
relicta hic. At ego viciſſim, *Non igna-
ra mali, miſeris ſuccurrere diſco.* Hoc
ſermone abſoluto, jubet largiter in
utramque partem, aurum & argentum
effundere, ita ut & illi, qui ſpem abij-
cere cæperant, currum alacres ſeque-
rentur. Prodierant & ventroſi qui-
dam viri *Abbates*, in quorum foribus
ſtabat inſcriptio *Fructus ſine labore.* Hos
itaque Reſpublica petijt, ab Epiſco-
pis in diſciplinam redigi, ut aut doctos
pioſvè (quibus illi carere videban-
tur) viros, in ſuis clauſtris haberent;
aut ſcholas educandæ honeſtæ juven-
tuti, & poſt Reipublicæ ſervituræ, in-
ſtitue-

ſtituerent. Annuentibus Epiſcopis, vidit & quandam domum inſcriptam *Academia*. In cujus foribus ſtabant multi ſpectatæ cujusdam probitatis viri, cum inſcriptione tali, *Labor ſine fructu*. Eos miſerata, petit à Rege, ut pro merito virtutum ſuarum liberaliùs providerentur, promittente Rege, non irrita fore poſtulata; audivit dein Reſpublica egenorum hominum per plateas iacentium clamores & eiulatus, quos tanquam dehoneſtantes illum ſuum ſtatum, in domum inſcriptam *Ptochologia*, omnes cogi, illosque victu neceſſario providere mandavit. Qui verò ea proviſione nollent eſſe contenti, ſed finitimis gentibus ſcandalo, & noſtris dedecori eſſe pergerent, ut eos adigeret, æquè Regno ſuo pelleret. Cum Rex facturum ſe (quæ Reſpublica poſtulavit) recepiſſet, Reſpublica ad domum *Conſilij* advecta, ab omnibus cum ſumma devotione, Deo immortali gratiæ ſunt actæ, demùm nomine Reipublicæ, Regi & Senatoribus ſtatûs utriuſque, *Charitas* brevibus & elegantibus verbis gratias egit. Poſtea in domum propriam cum tripudio in-

invecta, aureo sedili, famulis sibi assistentibus consedit, *Religione* & *Iustitia* (cum ancillis earum) sua sede collocatis. Quibus, peractis Rex & Senatores, ac universi qui aderant Reipublicæ filij, exhibito illi honore, in suas quique ædes abiverunt. Quæ omnia ubi procurata sunt, ex tecti Reipublicæ altissima specula, fæmina quædam nomine *Fama*, tubam inflavit, ita, ut sonus, in remotas etiam orbis partes perveniret.

CAPUT XIX.

ECce autem divertente cum Senatu ad domum *Consilij Rege*, à gentibus aliquot missi Legati, qui de rebus in tàm florentem statum adductis, famam acceperunt, quantoperè à finitimis populis societas ejus Provinciæ tàm præclarè originaliter primum institutæ, deinde verò circa restauratam *Religionem* & *Iustitiam* tam pulchrè sanatæ) expectatur, ordine quisque pro more suæ gentis, Regi & Senatoribus exponunt; pulcherrimam se eam societatem ducere, cùm ea gente, ubi nihil contra libertatem publi-

cam admittatur, ubi nemini, præterquam Legi, & ejus cuſtodi Regi obtemperetur, ubi placida *Charitas* omnium planè paternas voluntates fecerit, ubi ſeditione & ambitione vacent animi, nihil violenter, nihil crudeliter, planeque cæleſtis *Hierarchiæ* pulchrum ordinem referant, ut quemadmodum illam ob ſingularem ordinem, diuturnam eſſe videmus, ita & hic florens, felix, ac diuturnus rerum omnium ſtatus, permanſurus eſſe videatur. Orabant itaque ut ſub eum *Iuſtitiæ Fideique* cultum, & in eam ſocietatem Legum & Libertatis (quæ omnes ferè orbis partes & dominia exſuperat) communionem, reciperentur. Ceſſurum id non ſuæ tantùm felicitati, quod in eam ſocietatem gentis liberrimæ, & nulli unquam ſubiectæ, cooptati forent, verùm etiam decoro & ſecuritati eorum quòd reciperent eas gentes, quarum amicitia nemini unquam eſſet pudori. Si enim virtus unita, fortior, ſe ipsa diſperſâ, non dubiũ eſt, proſpera cõmunicata illuſtriora fore, adverſa verò leviora. Nec ullũ, fore tã potẽtẽ hoſtẽ qui Provinciã tantâ diſciplinâ do-

meſtica inſtructam, tanta *Iuſtitia, Charitate*, & *Concordiæ Præſidijs* firmatam, tot ſociorum fide & magnitudine undique munitam, laceſſere audeat. Ac quemadmodum bona, tùm primùm cùm unum eſſe cæperint, optima fiunt, ita ſeorſim mala ſunt, unitatis ſine unionis adiectione, bona eſſe non dicuntur. Jn hunc ferè modum Legati, brevia ſed utilia verba fecerunt, neque ea varia, irritavè Legatio fuit, ſed aſſenſu omnium approbata, & ſine prorogatione in diem ſequentem, ne trahendo res langveſceret, datum reſponſum. Nec tamen ea res caruit omni prorſus tumultu, obnubilabat enim mentes omnium *Rhetorica*, quàm ineptijs ſuis & longiſſimis diſſertationibus negotium in dies plurimos, more ſuo trahere volentem, eadem illa, quæ priùs *Æquitas* compreſſit, & è medio abegit. Atque mox ubi hæc abacta fuit, in medium ingreſſa Virgo excellenti & amabili vultu, producta à *Charitate* cum libro (ut utraſque illas gentes, ad conditiones perpetui fæderis proponendas admoneret) cum inſcriptione *Unio*. Propoſitæ igitur & acceptæ

acceptæ utrinque conditiones, placentes, firmæ, ratæ, perpetuæ, & inviolabiles, & Libro *Unionis* utriusque partis manibus inscriptæ & obsignatæ, Libri inscriptio fuit: *Volentem amare, non opus est ligare.* Læti itaque Legati, amicitia & conventione ejus Provinciæ, datis in fædera dextris, tandem ad suos abierunt.

CAPUT XX.

NEc mora nostri fulgentibus armis induti, factoque tympanorum, & bellicarum tubarum sonitu, ex porta agmine effunduntur, & castra metati ita se comparaverant, ut hostes qui ad munimenta propiores accesserant, retrocedere rursus inciperent. Tria signa grandia nostri habebant. Primùm, Aquilam albam coronatam cum inscription : *Felix & liberum Regnum.* Secundum aureā Phænicem in flamma cum inscriptione *Rex non moriturus.* Tertium, Cornices ab omni cæli parte in unum convolantes præseferebant, cum inscriptione *concordia & amor*

mor mutuus, firmissimum munimentum. Qui sub eo vexillo erant, una Matre editi videbantur, conspectu signi medij; Copiæ ab Occidentali mundi plaga instructæ, quas initio dixi, quasi irrita sua consilia sentientes, campo decesserunt, velut nunquam in eam stationem reversuræ. Similiter & illæ à Septemtrione, viso eo signo, in quo erat amor mutuus (terribiles alioquin semper hostibus) abiectis animis & armis nec modicum ferentes impetum, fusæ, fugatæ, ac intra fines suos redactæ sunt. Non secùs & alij reconditis armis & conversis signis, properè ex insidijs cesserunt. Pacatis igitur eo modo rebus, domum redeunt, lætum agmen ducente augustæ formæ Virgine, nomine *Victoria*, à porta *Securitatem* delent, proque illa *Vigi antiam* reponunt; & munimentis pro necessitate, præsidio firmatis, passim festa & triumphos egerunt. Quorum ludis intercurrit fæmina, rara & insigni admodum forma, amictu splendido, & colla coronis redimita virentibus, præsen-

tiâ ſuâ & gratulatione, læta & proſpera omnia jucundiora effecit, nomine *Gloria perennis*. Jamque ego ipſe, voluptate Spectaculorum feſſus, plenus ſtupore, inſiſtens prioribus veſtigijs ad naves perveni, & eisdem navibus clementi aura in Patriam appuli.



JN LEGES & STATUTA REG:POL: Ab Jacobo PRILUSIO digeſta AD EQUITES POLONOS STANISLAI ORECHOVII.

ORATIO.

CUm multa ſint Equites majorum veſtrorum parta vobis, ac relicta ab illis ornamenta: nullum tamen majus, neque nomine veſtro digniùs reperietur, quam ſunt Leges veſtræ, non ſolum ſumma illorum æquitate conſtitutæ, ſed etiam ſingulari ingenio ac libertatis veſtræ luce illuſtratæ, quæ talis eſt, ut nulla gens, neque natio majore libertate unquã fuerit, quam qua vos eſtis. Quæ quoniam tota Legibus continetur, nihil eſt quod aut jucundiùs vobis auditu, aut cognitione veſtra digniùs poſſit videri, quam de his Legibus vos audire velle, quibus omnes, quæ ubique ſunt gentes longe lateque viciſtis. Habent nationes cæteræ quo ſe vobis anteponant,

ſive

ſive quis munitiones ſpectet, ſive Urbes videat, ſive vectigalia numeret, ſive fructus agrorum conſideret. Quid enim, ut cæteras Provincias prætermittam, Germaniâ urbibus præſtabiliùs eſt? quid Galliâ vectigalibus copiſiùs? quid Hungariâ aurò ditiùs? quid Italiâ poſtremo ipſâ & ubertate agrorum, & varietate fructuum fertiliùs, opimumque magis usque eſt? vincimur ergo Equites agri bonitate, auri copiâ, vectigalium fructu, atque munitionum magnitudine à cæteris gentibus. At libertas ipſa ſummum bonum bonorum omnium propria generis ac nominis veſtri eſt, quæ talis eſt, ac tanta, ut cæterarum nationũ libertas cum veſtra collata, ſervitus ſit vobis non ferenda, cujus libertatis dulcedine, admiratioeque multæ Provinciæ captæ non tam armis quã magnitudine veſtræ libertatis, veſtro Imperio ſunt adjunctæ. An vos exiſtimatis Ruſſiam ampliſſimũ potentiſſimumque Regnum magis arma veſtra pertimuiſſe, quã libertatem expetiviſſe, ut illa vobis Provincia nunc eſſet? Circumſpicite Poloniæ fines, copias etiam Regni veſtri

cogitate,

cogitate, non ultra montem Carpatum, ac Istulæ flumen, omne vestrum genus contineri reperietis: quod cum Russiæ magnitudine atque amplitudine gentis nostræ collatum perquam exiguum est. Quid Prussia nobilissima Provincia, copiasne vestras secuta, sub vestrum Imperium concessit? minime verò. Nam si vestrum solum diligentiùs spectaveritis, nunquam agri vestri copias Prussiæ anteponetis. Quid de Lithvania dicam, quæ cum bis quam Polonia pateat magis, tamen eadem libertatis vestræ conditione à vobis est comprehensa, taceo Pomeraniam, prætereo Mazoviam, ne Samogitiam quoque ac Valachiam, atque Silesiam commemoro, quæ, cum vos rerum copiâ, & amplitudine regionum, atque multitudine hominum vicissent: à vobis tamen non tam armorum jure, quã libertatis lege sunt devictæ, in quam cum has gentes atque nationes accepissetis, hoc quidquid intra Oceani Sarmatici sinus, montemque Carpatum, ac citra Scithiam, atque Germaniam est, Iuris Imperijque vestri fecistis. Et cum non mos, non jus, non Deus e-

etiam tot gentibus idem esset: tamen ut idem jus Regni cunctis posset esse, libertatis vestræ commendatione est factum: tantumque nomen vestrum auxistis, ut cum ex tot gentibus libertate vestra Polonia coaluisset, & amplitudine rgionum, & copiâ hominum, & fertilitate agrorum, cæteris Provincijs pares sitis. Nihil fingo Equites, rem ipsam dico, eaque bona verè commemoro, quæ vobis Libertas vestra præstans, atque eximia peperit, quæ tota Legibus atque institutis vestris continetur.

De quarum Legum natura atque conditione antequam breviter dicam, peto à vobis Equites Poloni, ut me de ijs ita audiatis, uti hominem alienum à foro, remotum à Iudicijs, ac in ocio tranquillitateque positum audire debetis: ut a me orationem de Legibus vestris requiratis, non rabularum horum forensium, sed eorum hominum, qui Leges latas norunt esse ad depellendam, non ad inferendam injuriam: ut totum id Legibus tribuant, quod bono jure sint: quod in Regno optime constituto vivant, quod justo

Rege ac judicio legitimo vitam, fortunas, atque libertatem cum dignitate retineant. Hæc ergo ratio mea eſt, ut vobis demonſtrem Leges veſtras hujusmodi eſſe, quibus cum non dico Solonis aut Lycurgi Leges, ſed ne illæ quidem Minois atque Radamanti conferri poſſint, quorum Creta Regnum Venetorum nunc ditionis eſt, non ſuæ. Et ne verbis hæc ita magna facere videar, rem ipſam dicam, ex qua hoc ita eſſe, poteſt videri. Poteſtis Equites demonſtrare mihi ullam Provinciam, quam, aut ipſi vidiſtis, aut ab alijs audiviſtis extra Poloniam vere liberam? demonſtrate ſi poteſtis, nihil dico de ijs quæ ſub Turca ſunt, quarum ſervitus ut fœda, ita miſeranda eſt, ad liberiores Provincias vos deducam. Quorſum tandem quæſo recidit potens illa rerum atque glorioſa Germania? quæ cum non ſolum Legibus optimis vivere, ſed etiam vicinis gentibus ſe Leges dare gloriaretur: nunc non tantum Leges ipſa amiſit, ſed vix jam vitam reliquam ducit, tanta converſio rerum in hac præclara doctaque gente repente extitit, ut jus, atque Leges appella-

re illi capitale jam ſit factum. Quid? ſanguis atque genus veſtrum Bohemi de Legibus ſuis quantum retinuerunt? tantum nimirum, quantum de ipſa libertate amiſerunt, qui cum ex eadem originis propagine, unde & vos orti eſſent, diverſos Reges atque Leges ſecuti, in ultimum rerum diſcrimen ſunt adducti. Jam verò Italia arx gentium, atque nationum caput, ac domicilium ſummi quondam Imperij, quæ mala non vidit? cum neque cupiditatem potentiorum refrenare, neque tenuiorum libertatem Legibus præſtare poſſet? in qua nunc tot ſunt partes, quot Provinciæ: tot Reges, quot munitiones: tot denique Urbes, quot ſunt in ea factiones. Jta in illo tam præclaro tamque vetuſto Regno veſtigium veteris libertatis nullum jam eſt; longum eſt & non neceſſarium commemorare Galliam Provinciam, quæ Regem ſuum noſtra memoria vidit captum. Angliam prætermittam quæ Iohannem Roſenſem Epiſcopum, ac Thomam Morum duo Regni lumina, Senatores aut ſuos ſecuri publice percuſſos.

custos conspexit. Quid Daunia dicet? aut quomodo libertatem suam iactabit? quam tanquã navim absque nauclero, sic illam Christierno pulso absque Rege vidimus fluctuantem. Neque verò Hispania silentio à nobis est prætereunda, cui Rex non suffragijs populi, neque renunciatione legitima, sed fato naturaque designatur, ut Hispani eum Regem ferant, non quem liberi populi suffragia, sed quem materni uteri custodia illis designârit. Harum rerum, ac tantorum periculorum, atque conversionum, si quis causam quærat: non aliam reperiet quam Leges ipsas, quæ cum infirmæ apud has istas gentes fuissent: mirum non est, si pro pace ac perpetuitate Imperij alligare eas non potuerunt: ita ut, & subditi Regum suorum cum fide ferrent Imperium, & Reges juste moderateque imperarent suis, ex qua inæqualitate Imperij exorta est ista tempestas, quæ Germaniam, Bohemiam, Italiam, Galliam, Angliam, atque Dauniam nunc vertit ab imo, non sine ipsius orbis terræ aut occasu, aut conversione cer-

te quidem. Quod ne in Polonia unquã esset qua ratione à majoribus vestris provisum sit, attendite. Nam cum tria genera rerum publicarum in hominum vita versari illi viderent, ut omnes hominum cœtus, aut unius Regno, aut Paucorum Jmperio, aut Omnium dominatu contineretur, nullum genus horum ipsum per se probaverunt, nam & unius hominis potestatem, facilem esse ad tyrannidem viam: & paucorum Jmperium ad reliquorum calamitatem proclive: & plebis ipsius dominatum ut seditiosum, ita perniciosum esse rebus communibus putaverunt. Quare talem illi rationem cum sua Repub: habuerunt, ut cum apud alias gentes aliquo separatim horum trium generum Respub. constaret: apud vos iisce tribus generibus, novo quodam & inusitato more mixtim constitueretur, ita ut vestra Respub: neque Regnum sit, neque paucorum dominatus, neque popularis status. Rex enim ipse vester si quis definiat, nihil aliud esse in Polonia reperietur, quam Os quoddam Regni vestri conjunctum vobiscum libero ac legitimo vestro suffra-

gio,

gio, ut is nihil prorſus agat, nihil moliatur, ac ne loquatur quidem: niſi id, quod ex intimo veſtro ſenſu publice ſit profectum. Jam Senator ipſe, quem majores Præſidem libertatis atque Cuſtodem eſſe voluerunt, ea ratione Regi adiungitur, ut Cuſtos is ſit, & Vindex illius cupiditatum: ac in ſenteńciis dicendis Regi præeat, illumque doceat: quod illi communi veſtra ſalute agendum edicendumve ſit, ut in Polonia Senatus nihil ſit aliud quam autor conſilii Regii, atque illius moderator quidam: ne nimia poteſtate, ex cuſtodia veſtræ libertatis, ad curationem ſuorum commodorum Rex veſter depellatur. At veſter ordo equeſter ſpecie quadam popularis poteſtatis, tam Senatorii conſilii, quam Jmperii Regii pro rata parte ideo factus eſt particeps: ut nihil vobis invitis, neque à Senatoribus decernatur, neque à Rege ſtatuatur, ut id ſolum ratum in Polonia ſit, quod volentibus vobis, ſvadente Senatu, ac ipſo Rege edicente ſtatuatur. Ex qua ratione illud, quod in Romano Jmperio eſt ſummum: ut id Legis habeat vigorem quod placuerit

Regi:

Regi: à vobis tanquam noxium ac libertati vestræ adversum omnibus vestris Legibus repudietur. Quin verò ea Lege quam vos cum Senatu atque Rege tuleritis, Regem quoque ipsum unà cum Senatu vobiscum includi vultis, adversus quem Regem sunt suæ Leges vobis, sunt Iudicia, est quoque parendi illi modus certus, atque præscriptus. Quo quid mirabiliùs dici, aut fingi potest? ut is, cujus potestas inter vos summa est, & qui non natus sed creatus à vobis Rex est, gladio illo sibi à vobis concredito non utatur, nisi vestro præscripto: ac hoc eodem etiam gladio, ne vestra libertas insolescat, vos cohibeat ac in officio contineat. Quo fit, ut stabile sit Regnum vestrum. Si enim ejus dissolvendi causæ ullæ sunt, illas aut à Regia potestate, aut à Senatorum culpa, aut à vestra libertate proficisci est necesse. At cum & Regia potentia vestra libertate temperetur, & vestra libertas Regia potestate cohibeatur, & Senatus ipse hujus potentiæ Regiæ & vestræ libertatis sit moderator quidam, atque custos: quis

dubita-

dubitabit confiteri nullam intus perniciem in vestro Regno latere? quod libertate vestra incredibili nititur, Regia verò potestate continetur, Senatûs aut ipsius fide & autoritate in modo quodam ac in æquabili rerum omnium pondere ita retinetur, ut neutram in partem propendeat: sed omnibus momentis vestræ libertatis diligenter examinatum, in certa obedientiæ atque Imperii conditione consistat. Quod quidem Regnum cum etiam huiusmodi Legibus vivat, in quibus resonat mens, & animus, & consilium, & sentencia vestræ libertatis, & quarum Legum Administer est Rex, interpres verò Senatus: quibus etiam vos ideo servitis solis, ut vere liberi cum Rege vestro atque Senatu esse possitis: mirari desinite, si cæteræ Provinciæ in quibus ea ratio Reipub: non fuit, vel unius Jmperio afflictæ, vel paucorum dominatu oppressæ, vel seditione populari sunt eversæ. Vestra verò Respub. ut salva perpetuaque sit, dabitis operam ut à vestris Legibus non recedatis, quarum præscripto, &

Rex

Rex apud vos regnat, & Senatus decernit, & vos vitam ſpiritumque liberum ducitis. Quamobrem cum Legum veſtrarum tantam dignitatem utilitatemque perſpiciatis eſſe, dabitis operam, ut eas Leges non ſolum fideliter retineatis, ſed etiam cognitas, atque perſpectas habeatis. Turpe ſiquidem vobis fuerit, vos iis Legibus liberos eſſe gloriari, quas ignoretis, & quæ quantum valeant, neſciatis. Quid enim quæſo reſponderetis, ſi vos quis quærat, liberi eſtis Poloni? liberi, quo id eſtis? Legibûs utique diceretis, quid Leges veſtræ ſunt? ſi neſcimus, reſponderetis; ac ne liberos quidem vos eſſe probaretis, ut enim armîs ignoratîs vitã non tuemur, ſic Legibûs ignotîs libertatem non præſtamus: quæ ſane in Legum ignoratione tota periclitatur. Neque enim vi tantum & armis libertas hominum tollitur, ſed etiam fraude, atque dolo tota extingvitur. Ac adverſus quidem vim atque arma ſunt vobis firma præſidia, quibus hoſtes veſtros vel ulciſci pro veſtra libertate, vel provocare poſſitis, adverſus verò dolum atque fraudem domeſticam nulla

la re alia, nisi Legibus armati esse possumus. Atqui, aut hoc solum remedium est quod adhiberi à vobis Reip: vestræ possit: aut si ne hoc quidem idoneum videtur esse, contra ea venena quibus sinceritatem Legum nostrarum infectam esse videmus: nullum profecto remedium invenietur, quo ægrotæ Reipub: subvenire possitis. Cum enim quidam homines scelerati linguam in quæstum conferrent, omnem fidem Legum, atque illarum religionem, ad vestræ libertatis interitum pretio commutaverunt: tantumque calumniis commentisque perfecerunt, ut illud Jus, quod natura ad salutem hujus Reipub: à maioribus erat constitutum, ad illius perniciem artibus hominum sit jam conversum, quorum machinationes, doli, atque fraudes in vos fortunasque vestras ut occultiùs laterent, omnem Legibus vestris lucem eripuerint, ac densa rerum caligine omne Ius vestrum involverunt. Spongiam piscem Marinum ferunt esse, quem quum grandiores pisces persequuntur, atramentum in fuga

fertur emittere, ne ab illis comprehendatur, sic etiam isti ut quæstu judiciario liberiùs pascantur, tetras tenebras Legibus nostris offuderunt. Cum enim Legum ipsarum hæc natura omnis sit, ut res primo possibiles, deinde tolerabiles, postremo honestas hominibus præscribant: in eos vis summa illarum est, ut tota Lex ad sensum communem, captumque nostrum vulgarem accommodetur, quam etiam ob causam nemo in civitate mentis ac consilii particeps, sive vir ille, sive fœmina fuerit, ignoratione Legis quicunque de pœna comissi recusat, quod utique nunquam fieret, nisi constaret Legem in Civitate ita scitu facilem esse, ut in medio posita à cunctis Civibus sua sponte possit cognosci. Jdcirco etiam magna brevitate præceptorum instar Leges feruntur, quarum partes notis certis, atque interpunctionibus verborum propterea occupantur, ut faciliùs etiam à pueris judicio præditis memoriâ comprehendantur, iisce ego rebus exempla adjungerem, nsi de rebus notis apud vos hæc haberetur oratio, ex quibus liquet

quet Leges ipſas & ob præceptorum brevitatem, & ob verborum aſſiduitatem, ita tritas & notas eſſe, ut ad illarum cognitionem nihil plane ſit opus exquiſito Magiſtrô. Jam progreſſiones ipſæ Legum, atque cauſarum adi- tus omnes, certa via atque ſuis gradibus ita ſunt diſpoſiti, ut quivis & diem dicere, & cum adverſario experiri Legum præſcripto poſſit, ut quisque noſtrum tam in adeundo, quam in experiundo Iure, Dux ipſe ſibi nullo præeunte poſſit eſſe. Jtaque homines quidam nefarii ſine fide, ſine religione, quos non Dei metus, non hominum pudor ullo in officio continet: cum ad nullam aliam operam bonam in Rep ubl: valerent, nulloque momento in ea eſſent, neque pretio: in tanta Legum veſtrarum luce myſteria quædam de induſtria moliri cœperunt, ut videlicet ſine ſua opera lege à vobis nihil poſſit agi, ita illa quæ pervulgata antea, atque in manibus iactata, & excuſſa, ac cognita à vobis fuerunt: loquacitate nimia ac verborum tumultu cuncta obruerunt. Quare ea omnia quæ præclare Legibus erant in communi noſtro

ſenſu

ſenſu defixa, Cauſidicorum ingeniis atque impoſturis inverſa jā ac depravata ſunt: Ut omnes Legibus pareremus, majores noſtri ſummā pænā,exiliū,ac bonorum publicationem jure victis eſſe voluerunt. Hi invenerunt & judiciorum dilationes, & contumaciarum genera, & ementita vadia, quibus illi circumveniunt, ac Regno pellunt homines etiam juri communi obedientes; itaque rebus hujuſcemoni fictis, commentitiisque omnem è Legibus ſplendorem atque lucem ſuſtulerunt, tenebras verò atque horrorem quemdam reliquerunt, ut in eo controverſum jus ſoli noſſe, & tractare apud vos videantur. Quapropter iſti magno noſtro malo ſoli jam regnant, ſoli conſuluntur: ſoli denique in rebus fortunisque noſtris tantum poſſunt, quantum volunt. Et quod ferendum non eſt, vos qui libertate cæteris gentibus præſtare vultis, impuriſſimis iiſce hominibus domi ſerviatis, eorum clientes, eorum, comites, eorum etiam aſſectatores ſitis, ad illorum januas vigiletis, ac progreſſum operiamini, nunc excludamini ab illis, nunc ad ſervo-

rum

rum modũ revocemini, ut vobiſcũ paciſcitur, ut tributũ vobis imperent, ut vos exhauriant, ut denique vos ad omnes nutus ſuos promptos, ac paratos, atque aſſiduos habeant, itaque quod de vobis nunquam finitimis veſtris hoſtibus Germanis, Bohemis, Hungaris, Scythis atque Turcis licuit: ut pro arbitrio vobis, quæ vellent imperarent, id medius fidius jã licet impuriſſimis perfidioſiſſimisque, iiſce non jam civibus ſed hoſtibus veſtris, Cauſidicis inquam iſtis, quorum in hac Repub. nulla probata prorſus extat opera, neque in ocio, neque in negocio, qui obtinendæ atque augendæ potentiæ ſuæ cauſa, illam legitimam atque uſitatam in rebus cauſisque veſtris æqualitatem funditus ex Repub. ſuſtulerunt: ac omne fas atque Ius ex hoc Regno expulerunt, ut vobis rebuſque veſtris ad arbitrium abutantur, quod ne illi diutiùs licere ſib arbitrentur, omnibus veſtris præſidiisi atque Legibus efficere debetis Equites. Quod ut faciliùs factu ſit vobis, ſingulari fato ac ſummo libertatis veſtræ exemplo inventus eſt homo peracri ingenio Scriba Petri Kmitæ Clariſſimi viri

ri Jacobus Prilusius qui quasi alter Cn. Flavius horum cornicum oculos confixit, ac singulari judicio, atque prudentia incredibili, ex hoc rabularum Cæno quasi ex Aristæi fimo Herculeo plane labore, Leges vestras in Reipub. lucem produxit: vobisque legendas edissendasque proposuit, tanta facilitate, ut quod incredibile dictum à M. Tullio plærisque videbatur, qui occupatissimus cum esset, triduo tamen se Iuris consultum fore non dubitabat profiteri, id verissime dictum esse Jacobus hic Prilusius docuit, qui hos homines regnare in foro, hærere in Judiciis, ac Judicum tribunalia occupare, atque in vestras fortunas undique imminere cum non ferret, prolatis vestris Legibus, & forum à fraude, & Judicia à dolo, & tribunalia à perfidia, & fortunas vestras ab hac calamitate liberavit, ita enim is & Sarmata, & Mazurus omnes vestras Leges ex postrema obscuritate, atque difficultate, in summam perspicuitatem atque facilitatem vindicavit, ut nemo sit tam hebes, tamque tardus, cui in controversijs agitandis obviæ non sint Leges omnes: & cui non respondeant etiã non

vo-

vocatæ, nam de sentencia L. Crassi omne vestrum Jus certis primo generibus, deinde eorum generum quasi quibusdam membris dispertiit: tum verò propriam cujusque vim definitione declaravit, ac perfectam artem Juris Civilis nobis ostendit. Jta ille & partitione generum, & descriptione partium, & illustatione illarum, totum Jus ediscendum, ac tractandum vobis proposuit, ut remotis calumniis; ac illarum circumscriptionibus nefariis, ipsæ per se restent Leges, ac pateant, obviæque vobis ultro sint. Ex qua ratione finis factus esse videtur querimoniarum illarum, quibus singulis Comitiis de Causidicorum scelere queri solebatis, vobis videlicet nihil certi iam in Legibus relictum ab ijs esse, quæ utique querela de Causidicis vera fuit. Neque enim quicquã ita certi, ita etiã constituti in fortunis nostris erat, in quo homines isti malefici non molirentur aliquid quæstus conpendiique sui gratia, quod sane faciebant illi antea non ulla singulari prudentia, sed Legum ipsarum laqueis, quos ex involucris calumniarum cum fecis-

ſent, ita nobis perſvaſerant, Leges, quarum ipſi autores eſtis, ſolis Cauſidicis notas eſſe. Quare cum ad hunc modum abuterentur illi & fide, & ſenſu noſtro, res noſtras ferebant, rapiebant, ac ſurſum atque deorſum agebant, ſummo cum rerum noſtrarum non ſolum privatarum, verum etiam publicarum diſcrimine. His ergo malis atque tantis incommodis Jacobus Priluſius remedium hoc attulit divinitus, quo res noſtræ ſcelere Cauſidicorum læſæ ſanari poſſint, ſiquidem hoc quod vobis datur atque offertur obvijs ulnis exceperitis, & ſi parvo negocio ex hoc labore Jacobi Priluſij utilitates percipere volueritis opinione veſtra majores melioreſque. Hoc enim volumine Legum veſtrarum à vobis cognito, & ipſi res veſtras non temerè inter vos agetis, & quæſtum huic Cauſidicorum pecori tanquam glandem adimetis. Ac hoc genus hominum ſceleratum, controverſiarum veſtrarum pabulo paſtum, removebitis à foro, pelletis à Iudicijs, ac illos, ſi non metu Legum, at laqueo certe quidem rem bene gerere aliquando docebitis,

vos

vos ipſi etiam non calumnioſo, neque Cauſidicorum nequam Iure, ſed ex æquo & bono controverſias veſtras agitabitis, Legesque ipſas ad cauſas veſtras non Cauſidicorum inſtituto, ſed conſcientiæ ſuaſu, ac injuriæ præſcripto accommodabitis, ut cum certa res & ſimplex Lis in Iudicium venerit Actor tum non laqueo ſed Lege petat Reum, ita perſpicue atque dilucide, ut Judex causâ cognita, ſecundum Legem mox Judicium det, neque in utramque partem dubius quaſi in lance æqualiter propendeat. Quod cum à vobis fuerit factum, ceſſabunt inimicitiæ, ceſſabunt etiam illæ inſanabiles contumeliæ atque cædes, quibus repleri Regnum aſſidue videmus, ob mala flagitioſaque judicia quæ Legum ſcientia à vobis intermiſſa, corrupta atque depravata ſunt Cauſidicorum ſcelere atque perfidiâ. Quod cum ita ſit, adeſte animis Equites, capeſſite Rempub. recuperate eas Leges, quas Cauſidicorum ſcelere videtis eſſe violatas, & qui autores Legum veſtrarum eſtis, magiſtri quoque atque illarum actores velitis eſſe, ut veſtro præſcripto Leges veſtræ in hac

Repub. vobiſcum loquantur. Non ego vos ad peregrinas doctrinas voco, ſed vos ad earum Legum curam exhortor, quam majores veſtri vobis retinendam colendamque reliquerunt, in qua continetur libertas veſtra, qua omnes quæ ubique ſunt gentes viciſtis. Congerant alij ſibi aurum, iactent vectigal, oſtentent munitiones, ſolum etiam ſertile commemorent: vos eas Leges colite, quæ quibusvis opibus ſunt à vobis anteponendæ, quæ quidem Leges ad eum modum digeſtæ, cum in hoc volumine quaſi in quodam illuſtri monumento poſitæ, & diſtributione generum, & diſtinctione partium, & definitione earum ſint illuſtratæ: eò ad ediſcendum faciliores jucundioreſque vobis debent videri: quanto perſpicitis magis omnem ſtatum rei veſtræ publicæ, ac libertatis veſtræ conditionem, ijſce Legibus contineri: quæ iſto modo & partitione, & diſtributione, ac fideli deſcriptione ſunt ab Jacobo Priluſio magna cum ratione digeſtæ, quibus ut in libera Repub. frui ſalvis in perpetuum poſſimus, velle, & optare omnes debemus.

FINIS.